



SPEC. HIST. MONET. DAN. 2^a
per T.H.B.B.

THOMÆ BRODERI
BIRCHEROD JAC. F.

SPECIMEN ANTIQVÆ
REI MONETARIÆ,
DANORUM,

Ab antiqvissimis temporibus inve-
stigatæ cum figuris æneis

Præsertim a tempore Christianismi
in Dania ad initium auspiciatissimum

Imperii Stirpis Oldenburgicæ,



Plin. Paneg. Trajan. dict. cap. 54.

*Formam Principis Figuramque non aurum melius
& argentum, quàm favor hominum ex-
primit tenetque.*

HAFNIÆ,

Apud Johannem Justum Erythropilum Bibl.

Literis Joachim Schmetgen.

M DCCI.



AUGUSTISSIMO
MONARCHÆ
FRIDERICO
QVARTO,
DANORUM, NORVEGORUM,
VANDALORUM ET GO-
THORUM
REGI,
SLESVICI, HOLSATIÆ, STOR-
MARIÆ ET DITMARSIAE
DUCI,
OLDENBURGI ET DELMEN-
HORSTI
COMITI.




AUGUSTISSIME
MONARCHA
CLEMENTISSIME
REX,

Non diu poterat suspendi animus meus, cui offerrem primum hoc, quod hucusq; in Dania tentatum est, antiquæ Rei Nummariæ nostræ specimen; Ipse enim in Evangelio Servator cum Cæsari suam deberi ait monetam, quia nomine & imagine Cæsaris erat signa-



gnata. Soli Regiæ Tuæ Majestati, Rex
Augustissime, hos titulos, has imagi-
nes Regum Proavorum Tuorum, &
Gloriosissimorum in Imperio Ante-
cessorum deberi putabam. Dignare
illorum gratiâ Regio Tuo aspectu
hanc meam operam, & erige cle-
mentissima Tua serenitate timentem
animum meum, ut porro, quod pro
tenuibus meis decrevi viribus, fugi-
entibus Patriæ nostræ antiquitatibus
intercedere audeam; qui sacratissi-
mæ Tuæ Majestati, & sanctissimo im-
perio longos & felices annos, æter-
nam famam, & cœlestem gratiam
subiectissima mente & fidelissimis
apprecor votis

THOMAS BRODERUS
BIRCHEROD.




Lectori. S.

Quanto cum tadio exterorum saepe animadver-
to circa Patrias suas antiquitates jactantiam,
vix edicere sustineo, cum non aliter, ac si o-
mnem ipsi depacti fuissent antiquitatis nobilitatem,
nil apud nos prisca, nil antiqui, nil pennâ, aut po-
sterorum memoriâ digni putant reperiri, quia par-
ci huc usque fuerunt nostrates suarum rerum æ-
stimatores, & infrequentes Scriptores, quibus si
voluissent, satis materia fuisset in bellicis & do-
mesticis majorum nostrorum laudibus, quibus par-
tim fortissimas nationes superârunt, partim lauda-
tissimas æquârunt. Qui jussu Christianissimi Gal-
licum Regis nuper monetariam Gallia historiam
laboriosè, eruditè & sumptuosè concinnavit Do-
minus Le Blanc, ubi multa enumeravit secula, ul-
tra quæ monetam Gallicam saepe dubius, saepe incer-
tus extendit, nostram rem monetariam totam in-
tra unius aut alterius seculi cancellos non tam no-
center quam inscieniter constringit, cujus erroris so-
cium habet Authorem opusculi: La science des me-
dail-

dailles. Amster. 93. in 120. Hic stimulus has mihi succisivas fecit curas, ut quicquid inter antiquarium suppellectilem, cujus semper studiosior exstiti, antiquæ & Patriæ moneta inveniretur, è loculis protraherem, & in hunc; quem vides, ordinem disponerem, paucissima aliunde, quæ mea non habebat capsula, mutuatus. Nolui diutius intra prætorios parietes hoc, quicquid est, opusculi celare, censuram utpote hujus & adjumentum insecuturi ex publico sperans. Quod monetam Regiæ nostræ ex Oldenburgica domo familiæ non attigerim, non mentis sed crumena culpa fuit, quæ tot conquirendis non sufficiebat nummis, qui ex officinis Daniæ prodierunt jussu gloriosissimæ memoriæ Regum Friderici secundi, Christiani Quarti, Friderici tertii., & præsertim Augustissimi nostri nuperrime adeò feliciter imperitantis Patriæ nostræ Patris, cujus moneta tam ad commerciorum usus, quàm ad rerum à se præclare gestarum memoriam, & bonitate metalli, & justitiâ ponderis, & nitore artificii, & acumine inscriptionum nullam non ullibi totius orbis provocat officinam. Habeo nihilominus priorum ex Oldenburgica domo Regum moneta haud spernendam copiam, Christiani primi videlicet, Johannis, Christiani secundi, Friderici primi & Christiani tertii, mihi aut aliis in hoc eodem proposito



*infervituram. Interim, cui hoc angustius & im-
perfectius videtur, consideret rogo, se specimen o-
peris videre saltem, quod una & sola illa, quam
ipse paucissimis exceptis, posideo, antiqua mone-
tae capsula subministravit. Addent jam alii, quae pe-
nes ipsos inveniantur, & monetariam historiam,
unde tantum gloriantur exteri, non minori
cum laude a Danis institui posse,
cognoscant.*





SPECIMEN HISTORIÆ MONETARIÆ

DANORUM.



onstans est Scriptorum opinio imo necessaria ipsius veritatis assertio cui refragari non licet, Noachidas secundò post diluvium seculò in terras hæc septentrionales commigrasse priùs, quàm in alias australes Europæ provincias, quod alicubi argumentis haud dubiis evincere cogitamus. Illa autem ipsorum profectio, ut & primus septentrionis status & Regimen sub iudicibus & Principibus densissimis & verè Cimmeriis involuta sunt & tenebris, & parum certi in historiis habent.

Quamvis ideoq; haud dubitamus in hæc metalliferis Regionibus, statim post deductas colonias, metalla fuisse detecta & in usum popularem conversa, persuademus nobis nihilominus

minus, multa fuisse secula, quibus metalla apud nos, ut apud alias gentes omnes solum habuerint usum ad vasa utensilia, ornamenta, instrumenta aliaque naturæ suæ convenientia opera conficienda, quibus indiguerunt homines & sic talia ex Metallis opera cum aliis mercibus commutabantur, quæ omnium Nationum prima fuit vendendi & emendi ratio.

Ubi autem postea metallorum præstantia & commoditas magis afficere incipiebat homines, observabant, nihil commutandis, comparandis, æstimandis, & æqvandis rebus adeo esse opportunum ac metalla, quæ quasi ad id a Natura videntur facta; Et enim nec lapides, nec ligna, nec fruges, nec vestes, nec animalia nec agri ita dividi commodè, nec divisa iterum adunari poterant, ut metalla, quorum immunitas & adauctas pro libitu partes ad vilissimarum pariter ac optimarum rerum pretia se accommodare poterant. Hinc primam ponderandi rationem ipsa necessitas docuit. Quæ autem prima erat ponderandi ratio, quæ ponderum proportio, quæ nomina, quod pretium ignorare cogimur, illisq; contenti erimus, quæ posterior ætas adinvenit & ad nos transmisit.

Inter

Inter antiquissima ponderum nomina, quibus metalla apud Gothos, Danos, Cimbroſ & alias ſeptentrionales diſtribui ſolebant, Marca eſt, quæ vox ab Ebræis & Orientalibus ad ſeptentrionales cum ipſis primis coloniis delata, & adhuc, ut innumera alia, in lingua noſtra ſuperſteſ, a Gothiſ & Cimbris propagata eſt ad alias gentes, ut mox dicamus. Ebræum autem illud verbum, unde Originem habet, eſt מכר Macar, vendidit, tradidit, frequenter in ſacris & aliis Ebræorum libris occurrens, & hinc per Metatheſin, quâ nil frequentius eſt in originibus vocum, & derivationib⁹ Marca prodiit noſtra, nomen ponderis, cujuſ nulluſ eſſe poteſt niſi in venditionibus, emtionibus, rerumq; permutationibus uſuſ. Hinc nundinæ in noſtra lingua dicuntur Marchet vel Marchets dage, ſeu nundinales dieſ, quod etiam viciniſ Sveciſ & Norvegiſ in uſu eſt, Angliſ itidem, quibus Markets Tovvn villa eſt, ubi nundinæ & mercaturæ ex privilegio exercentur, & Mercatores Merchans dicuntur. Et Cambro-Britanniſ Marchnad forum & nundinaſ ſignificat. Hinc eſt verbum latinum mercari cum ſuiſ cognatiſ merces, mercimonia, mercator, mercatura & commercium.

Hinc Gallorum *marche*, *marchand*, *marchandise*, *marchander*. Hinc Itatorum *Mercato*, *Mercanza*, *mercatore*. Hinc Germanorum *Marckt* *forum*, & alia aliarum gentium similia vocabula, quæ recensere non vacat, ut sic videamus clare, quam *Marca* nostra *Gotho-Cimbrica* habet originem, & quas ex sese apud alias gentes progeniit voces. Agnoscant igitur exteri velint nolint, se nobis *Septentrionalibus* *Gothis* & *Cimbris* hanc debere ponderandi rationem. Nec opus est Gul: Watfio in glossario suo sub juncto historiæ *Matth: Parisiens*. Aut aliis diutius de Origine hujus vocis, quam claram satis dedimus, dubitare. Fuisse autem eam in nostra *septentrionali* lingua & commerciis diu in usu hanc ponderis rationem & vocem, antequam ad alias Gentes transiit nunc videbimus.

Quod ponderis *Dani*, *Sveci*, *Norvegi*, *Islandi* & alii *septentrionales* *Populi* *Marck* vocant, *Germani* etiam *Ein Marck* dicunt *Angli* etiam a *Marcc*, *Galli* un *Marc*, *Itali* una *Marca*. A *Danis* verò & *Septentrionalibus* reliqui hoc sunt mutuati. Etenim *Gallis* non nisi sub *Philippo* primo primum hoc in usu esse cœpit, in cujus
diplo-

diplomate quodam edito anno Domini millesimo. & nonagesimo tertio prima marce mentio occurrit, & ab eo tempore distribuere metalla secundum marcas Galli postea sunt soliti. At id erat primo tempore Erici boni fratris Canuti Sancti, ante cujus tempora jam jam in Danorum monumentis observatur; Etenim Canutus Sanctus contumacia exercitus sui irritatus singulis Ducibus classis sue quadraginta argenti marcarum & singulis militibus trium marcarum poenam irrogaverat. Ante ipsum Canutus asper seu Harde-Canutus tributum illud ingens, quod subditis suis ad exercitus sui sustentationem indixerat ad marcas persolvendum jusserrat. Et jam olim in Canuti magni legibus castrensibus a Saxone, Swenone Aggonis aliisque descriptis homicidium quadraginta argenti marcarum poena aestimabatur, quas tamen Marcas ubique more suo talenta nummorum Saxo vocat. Et paulo ante hæc tempora Marcarum mentio fit in historia S. Olai Regis Norveg: Et jam antea in Anglorum chartis, ut Adenulphi An. Chr. 851. cum Angliam jam diu vexaverant Dani. Nec in exterorum Principum aut populorum rationibus invenitur nisi post invasiones Danorum,

rum, Gothorum & Normanorum. Sub primis autem Danorum in Anglia temporibus credo ex Dania translatam eò fuisse per marcas ponderandi rationem. Nam illi antea ut postea etiam suas libras vel pownds, ut vocant usurpare in ponderando semper sunt soliti, nisi quod Danis, ex quo ab hisce armis tentari inceperint, per marcas supputare didicerint. Nec antiquior ulli genti est Marcarum mentio quam nostræ, etiam si posteriori ævo frequentissima semper fuit Gallis, Italis, Germanis, Borussis, Batavis, Frisonibus, Anglis, Scotis, & Hibernis. Non autem eadem semper Marcæ fuit ratio in ponderibus. quæ olim octo uncias auri & argenti habebat, id quod nostrates *Sedie*, *Marck* vocabant. Et plena sunt omnia antiqua diplomata & monumenta hac æstimatione rerum. Aliis Regionibus & Provinciis Germanis, haud multum dissimilis fuit olim in ponderando valor Marcæ: Sed postea differentiam habuerunt, qui ex civitatum variarum constitutionibus videri potest, ut pote de Marcis Tricassensibus Galliæ, Coloniensibus, Noribergensibus, Polonis, & aliis, quas conciliare invicem nostri non est instituti. Cæterum Coloniensis marcæ frequens est mentio in legibus

bus antiquis Regum nostrorum, ut & in aliis monumentis. Et adeo certè ambigua demum facta est illa Mercarum ratio, ut cum libris, unciiis, & aliis ponderum generibus haud rarò confundantur a Scriptoribus.

Ex quo autem olim Marcarum ratio & supputatio ponderibus illata fuit adeo ut Marc significare inciperet Notam vel *χαργμια* illud scapis & baculis staterarum & trutinarum insitum ad æquipondium denotandum credo tunc Danicum illud verbum natum esse *at merche* Gallicum Marqver, Anglic: *to Marck*. Et hinc Danicum est nomen et *Mercke* Nota, Gallis una marqve, Anglis a Marke, Cambro-Britannis marc. Et sic non malè dixit G. Agricola de ponderibus, Marcæ nomen Germanicum esse antiquum ☉: Gotho · Cimbricum.

Sub Christiano tertio Rege laudatissimæ memoriæ cœpit primum moneta cudi, quæ marcæ titulum & inscriptionem habet, valore tamen longè inferior illis supra memoratis ponderum marcis, utpote quæ solum semunciam ponderis habet, Ex eo tempore adhuc minor facta est Marca illa nummaria Danica, quæ hodie non nisi tertiam unciae partem pendet.

Etiā

Etiamſi autem ita, ut jam diximus, per pondera non ſignata ſolebant Septentrionales populi diſtribuere metalla in majoribus emptionibus & venditionibus, nihilominus adviliores res commutandas minorem habebant monetam, quam SKILLING vocabant, a Latinis dictam ſolidum. Quando cœpit ſeptentrionalibus illud monetæ genus, divinare non licet, ſed antiquiſſimum fuiſſe ipſa vox ſvadet, cujus originem Ebræam eſſe, clariſſimè, quod ſpero, jam jam demonſtrem. Qvis non rideat originem eam quam ſubminiſtrat Caſp. Schutz: lib. 2. Chron. Boruſſ: fol. 67. ubi refert hanc monetam ita dici a Bernhardo Scilling Thoronenſi cive Boruſſo, qui primus tales nummos cuſiſſe fertur. Nondum autem ille Bernhardus lucem viderat, cum jam per ſecula aliquot hæc vox noſtratibus in uſu fuerat. Joh. Loccenius Antiquit: Svec-Goth. lib. 2. cap. 18. recurrit ad verbum Svecicum, ut ait, at ſkillia / quod eſt ſeparare, diſtribuere, unde Skilling dictum vult, quaſi moneta rebus ſeparandis idonea. Sed non magis Svecicum eſt illud verbum, quam Danicum, quod illis at ſkillia nobis at ſchille dicitur, & etiamſi convenire quidem poteſt cum horum nummorum

morum officio, & ideo eandem cum hoc verbo originem habere potest, eam tamen nondum Loccenius dedit. Qvis autem eam non videt in voce SKILLING Hebræum שְׁקֶל SKEL, vel SEKEL, moneta in omnibus tam sacris quàm profanis usibus apud Ebræos usitata; Non enim vocales sed consonantes solum radicales sunt, quæ eadem utrobique sunt eodemque ordine. Illa enim terminatio טֶ SKILLING supplementum est lingvæ in aliis vocibus frequentissimum, ut drilling, sexling, &c. Ab Ebræis ideoque una cum coloniis suis hanc vocem in septentrionem deportârunt primi nostrarum Regionum incolæ, & a nostratibus ad Slavos, Germanos, Frisones, Anglos, Scotos & Iberos emanavit, quibus omnibus hæc hujus monetæ appellatio in usu est, sed longè recentior quàm borealibus Svecis, Normannis, Gothis & Cimbris. Et singulis Nationibus diversus cum tempore fuit hujus monetæ valor, veluti nec nostratibus eadem semper hujus solidi ratio fuit, cum en Schilling - grøt olim semper majoribus ponderibus se accommodaverit, & nunc novem, nunc duodecim, nunc octodecim solidos vulgares continuit pro ratione marcarum & thalerorum. Vulgaris autem solidus Danicus tres albos seu

Hvide, & duodecim nummulos, seu penge valebat.

Primus Regum nostrorum Christianus Tertius ut marcas, ita & SKILLING seu solidū nummis suis inscribi iussit, qvi tamen vulgaris est, & non alter ille, qvi groot dicebatur.

Fuit & aliud non numerandi solū sed & ponderandi nomen antiquioribus horum Regnorum incolis, qvōd en Øre / seu Ora dicitur & in monetis qvīdecim nummulos valebat, ita ut binæ Oræ duos & dimidium solidum vulgarem efficerent, cum Ponderis Ora, aut en Øre Begt / sesqvitertiam Oram monetalem valebat. Sed hic etiā diversitatem fecerunt tempora. Sveci Monetam adhuc qvandam suam per Oras distribuunt.

Hinc Ortuga Danice Ørtug quoq; dicebatur olim aliud pecuniam numerandi genus duos obolos continens.

Hinc qvoq; credo deductum postea aliud genus pecuniæ Danis en Ørt dictum, sed longè majoris valoris, ut pote qvartam uncialis partem habens.

Est in distributione agrorum & frumentorum sæpius illa portio, qvæ en Ørte dicitur, in rationariis codicibus memoratur. Est & alia partitio

titio monetæ & supputationis Danicæ, quæ Danicè en Hvid / s. Albùs dicitur, latinis aliàs obolus & tertiam partem vulgaris solidi continet, ita dicta ab albis nummulis quibusdam vilioribus unde & Germanis ein Weiß-pfenning / Gallis un Blanc, Italis un Bianco. Et minima etiam agrorum portio in libris rationum Album dicitur, scilicet ad censum vel rationem nummi albi æstimata.

Sed non satis demirari possum exterorum quorundam pertinaciam, qui potius ridiculos se præbere amant, si Græcam quandam & multò absurdam vocibus suis originem reperire contingat, quàm ad septentrionales respicere lingvas, cui perfectò eximiam partem debent. Sic dum Galli & Itali apud se hanc vocem invenerint un Blanc, blanco, bianco & nostram linguam ignoraverint, ridiculè satishic illud a λευκον Græcor. ortum somniat, ut Ferrar in *Orig. Ital.* alius a Βαξ langvidus, ut Scalig contra Card. *exerc.* 325. II. Cum Blanc nostra lingua est micans & fulgens, & ne Germanum illud esse credant, apud nos inveniant verbum at blindē micare, fulgere.

Et evidens satis est origo hujus nostræ Cimbricæ vocis in Orientalibus lingvis, ubi apud Ebræos quidem usum suum, ut infinita alia, amissit פֶּלֶא retinuit apud Arabes, quibus verbum

balaka in octava conjugatione significat micuit, fulsit, unde marmor lævigatum & politum, aliiq; lucentes & fulgentes lapides bolkon dici possunt. Æthiopes etiam inde habent suum Balak, quod itidem politum & lucentem denotat lapidem.

Adhuc a nostratibus, Albus qui dicitur in nummulos dividitur, Danis Þenge dictos, quorum quatuor unum Album & duodecim unum solidum vulgarem efficiunt. Crebrò quod in legibus rationariis codicillis & agrorum distributionib⁹ occurrit, de cujus origine orientali multa alibi differimus, uti & in ipso hoc specimen insecuturo opere differamus porrò.

Quamvis vox Þenge seu Þenninge in genere etiam pecuniam significat. Antiqui penningur dicebant. Et inde est Anglicum penny, Saxonicum Antiquum penig.

Descendit adhuc inferius moneta Danica, ad Blaffert, quod vilissimum rei alicujus pretiū denotat, veluti Latini subinde plumbeum usurpant nummum, ut Plautus, vel scortecum ut alii.

In genere dicitur nobis omne signatum Metallum Mynt, quod ejusdem cum Moneta Latinorum Originis esse, quivis videt. At de origine Monetæ quam bellè ludunt Scriptores! Antiqui

equi-

æquidem sunt excusandi, qui per ignorantiam Orientalium tam diu voces torserunt suas, ut tandem similes viderentur alicui vel latinæ vel Græcæ radici, non curantes, an sensu quodam & significatione convenirent, quæ ejusdem esse originis vellent, non secus ac lac ex vitibus et vinum ex uberibus vaccarum exprimerent. Dicunt monetam esse a monendo, quia monet nos de Authore, & valore suo. Sic omnes res moneta meritò dicenda, quia nihil est, quin aliquid nos moneat. Præterea autem nec Authorem nec valorem suum loquuntur primi Græci vel Romani Nummi, quod cuivis notum est. Nugantur ergo.

Radix Ebr: est מנא mana numeravit supputavit, per numerum & pondus distribuit, unde est מנא Mane, Mina pondo &c. quæ voce in monetis & ponderibus sacris pariter & prophanis, nil frequentius occurrit apud Ebræos, & מנא Mana, certa, dinumerata, & constituta portio, qualis Moneta debet esse. Hinc est מא Græcor. Quod idem est ac Mina Latinorum. Hinc Moneta Latinorum. Jam apparet unde Danicum nostrum Mynt, quod non a Latinis, sed ab Ebræis habemus, & verbum in nostra lingua habemus at מנא / מ: monetam cudere signare,

et Mynd in antiqva nostra lingua rem significat imagine signatam. A nobis habent Angli ipsorum Mony, Germani Muntz, Muntzen, Galli monnoys, Latini Monetam.

Habuisse Danos, Gothos & Cimbros nostros jam diu ante Christianæ Religionis initium suam monetam, quamvis tenuem & minutam, fermenefas est negare. Illi enim, Piraticam exercentes frequentissimam, auri & argenti cumulos incredibiles congegesserunt, & non modo depredando, sed & bellando, per totam Europam, & stipendia merendo sub remotissimis Principibus Europæ & Asiæ peregrinam monetam abundè Regionibus intulerunt suis, ut ipsa suadet ratio, ad cujus exemplar sine dubio suam domi monetam conformare potuerint unde hic & illic crebrò adhuc in Regionibus nostris effodiuntur nummi Romani, Græci, Arabici, Gallici, Germanici, Anglici illis temporibus illati. Sed, ut sæpius dixi, minutam & tenuem credo hanc fuisse non nisi ad tributa & exactiones minores, aliasq; domesticas necessitates paratam. Chronicon Norvagicum refert, tertium Sveciæ Regem Frejum, qvi aliquot annos Christum præcessit post obitum fuisse a suis monticulo illatum, ubi conditorium ita paraverant,
ut

ut.cœnaculum potiùs quam sepulchrum referret, per cujus fenestram primam moneta aurea, per secundam argentea, & per tertiam ærea a subditis injiciebatur, qvi vivo adhuc Regi solitum tributum se pendere putabant. Sed quales fuerunt hi nummi, aut quomodo signati, quis dicat? Alibi sæpius apud nostros Scriptores Saxonem, Chron: Norv. scriptorem & alios sæpissimè nummaria tributa & exactiones memorantur. Et antiquissima est septentrionalium harum gentium vox penningur, quæ pecuniam denotat unde ortum est Anglicum a penny & Saxonicum antiquum penig, unde est hodiernum Germanicum Ein Pfening/ ut superius diximus.

Sed de hujus vocis origine aliquid ut dicamus, radicem ejus Ebræam agnoscimus esse ינא quod antiquis Ebræis significabat in extremas suas partes dividere aut efformare, quo de vocabulo in Originibus lingvæ Danicæ plura damus.

Latinam nummis suis inscriptionem nullus unquam Danus addidit, ante Christianam in hisce Regionibus susceptam Religionem. Non enim exteri magis Ethnicos & barbaros Septentrionalium ritus detestabantur, quam Septentrionales nostri exterorum mores, adeo ut non religio-

ligionem modo totis averfarentur viribus, præ-
tendentes, illam novitatem avitæ fuæ conftan-
tiæ multum detrudere, fed & apparatus fuos tam
domesticos quam bellicos, utpote veftitum &
arma nequaquam voluerint ad exterorum imita-
tionem mutare, imo & ipfa nomina & appella-
tiones oderint externas quod Norvegi fatis do-
cuerunt, qui Jacobum Regem agnofcere nolue-
runt, antequam, depofito peregrino nomine
gentilitium quoddam Septentrionis Amundum
recepiffet. Hinc non mirum, fi neq; nummos
fuos eo tempore ad exemplum aliarum genti-
um efformaverint, unde, etiamfi nummos o-
mnino habuerint fuos, eos tamen hodie osten-
dere non possumus, qui licet occurrere, & ex la-
tebris erui poffent fuis, a nobis tamen agnofci
non poffent, cum ignoramus, quali caracte-
re fuerint fignati. Hoc enim fi nobis conftaret,
multos forfitan patriæ noftræ vindicaremus
nummos, qui pro Hunnis & Saracenis circum-
eunt orbem. Et debeant fanè Galli, Gothi,
Hifpani & Itali, Britanni aliiq; foli latinæ lingvæ
hanc fuam fortunam, quod a remotiori ævo,
quàm nos nummos recensere poffunt fuos, id
quod minus feciffent, fi barbaris & ignotis cha-
racteribus, ut noftrates olim, fui fignati fuis-
ſent

sunt nummi. Hæc igitur nostræ jacturæ causa est, quod ultra Christianæ Religionis tempora nullam certam dare possimus nostræ monetæ rationem, quod multos forsitan manibus nostris terimus nummos antiquos & verè Danicos, quos tamen ignotus character tales credere prohibet.

Sed dicat aliquis Runicas illas antiquorum septentrionalium literas hodie satis cognitasse, unde & nummi tali characterē signati quidem se ipsos prodere possent. De hisce autem ut aliquod dicamus prius est ut seponemus perquam multos Punicos & Africanos, vel etiam Hispanicos nummos quos pro Gothis solent habere multi.

Antonius Augustinus in Dialogis nonnullos proponit, & Olaus Wormius Danicarum antiquitatum vindex celeberrimus de liter. Run. cap. 10. duos ex ipso delineat. Spelmannus denique ad vitam Alfredi Magni nonnullos proponit.

Sed ingenuè fateor, me in hisce omnibus, ut memoratis depinguntur scriptoribus, non nisi lusus & errores deprehendisse; Etenim quem Antonius August. dial. 6. habet, & Wormius ex eo pag. 71. cum Galeato militis capite & Pe-

galo alato, idem omnino apud Paulum Petavi-
um occurrit in Gnorismate nummorum, & a-
pud Spelmannum Tab. 7. Alfredi Magni vitæ
præmissa. Literarum enim numerus & ordo &
figuræ, paucis exceptis, eundem ubiq; num-
mum testantur. Sed hic Pegasus alam habet ex-
pansam cum corolla alibi ex ala fit, eqves cum
palmite, ut omnino appareat eundem nummum
variè & variis fuisse depictum. Præterea nil mi-
nus habent illa Equitum figuræ, quàm similitu-
dinem cum antiquo Danorum equitatu, ut po-
tius Saracenicum, Punicum, aut antiquum Hi-
spanicum quid videatur. Literarum nonnullæ
Runicis quidem sunt similes, sed si Punicas apud
Sponium inscriptiones conferre placet, easdem
ibi deprehendas literas ferme omnes. Cæterum
nihil est frequentius, quàm figmenta talia anti-
quariorum, qui, ubi monumenta antiqua sunt
detrita, ea restituere semper solent ad mentem
suam, ut proposito inserviant. Sic videas, quam
bellè Conringius ludit, ubi Hottingero mittit
per Epistolam delineationem Punici cujusdam
nummi, videndi in dissertat: Fertia Hottingeri
de numinis Orientalibus, quem ut primum vi-
di, illico Augusti nummum cognovi cum Caji &
Lucii Cæsarum imaginibus, sed detritis & ve-
tustate

tustate exesfis, non minus, quam ipsa erat inscriptio, quæ casu quodam valde depravata & corrupta fuit. Sic Romanos possideo nummos, quorum literas vel ignis vel terra, vel ipsa ætas adeo immutavit, ut nisi scirem satis quid ibi legendum, jurarem aliud quid ibi designari.

Nobis non cura fuit omnes hosce errores in hisce & aliis deprehensos latius excutere, multò minus ad eosdem ulteriùs promovendos æs & sumtus suppeditare, cum præter erroneas conjecturas nil certi in illis reperire licuit, unde antiqva Danorum agnosceretur moneta. Nec obstinatè repugno, quin forsitan Gothorum nonnulli, ubi Patria egressi fuerant, & in longos Mœsiæ, Italiæ, Galliæ & Hispaniæ terminos concesserint, potuerint nonnullos tales hodie incognitos fabricare nummos, sed id asserere non audeo, qui novi, illos in Italia præsertim & Hispania Gothos Romanis usos fuisse characteribus & literis in nummis suis. Superfuit enim adhuc Athalarici, Theodohati, Witigis, Totilæ, Tejæ & aliorum Regum Gothicorum nummi hujus rei testes certissimi. Habet & Augustissimi Galliarum Regis Thesaurus nummarius multos ex auro & argento nummos Wisigothorum in Hispania Regum nomina Livæ, Livigildi, Rec-

care di, Witerici, & aliorum præferentes literis Latinis. Quos omnes Gothorum nummos, si ad nostrostrahere velimus latius tunc familiam extendat moneta Gotho-Cimbrica, quam vel Romanorum aut aliarum Gentium. Illi enim Reges & Principes, quamvis extra patriæ suæ fines, nova acquisiverant regna, Gothicam tamen patriam suam nunquam non agnoverunt, & Gothica nomina semper retinuerunt, familiamq; suam ex ipsis incunabulis Gotho-Cimbricis deductam apud Lyschandrum nostrum & Strelovi-um Gothlandici Chronici Authorem adhuc inveniant. Sed adeo latè excurrere nobis non placet, qui saltem monetam nostram intra limites Patriæ signatam perquiramus. Et magnam hæc habuit a reliquis differentiam. Dum illi in exteris degentes Gothi Romanorum, quibus vicini-ores erant, monetam imitabantur, secus quàm hi, qui in Patria remanserant, & omnem ritum, consuetudinē & apparatus peregrinum respu-ebant, ut supra monuimus.

Ab hisce Gothis nostris domesticis credo si-
gnatos fuisse numos illos aureos, argenteos, &
æneos, qui variis in locis adhuc reperiuntur, te-
nues, & tam misera arte formatos, ut vix faciem
hominis agnoscas, aut animal quoddam, aut a-
liud

liud quoddam signum, quo monetam suam signare voluerint. Ideoq; nec Scriptores laborarunt circa hos describendos, in quorum interpretatione omnem operam perditum iri putabant, nec possesores, quorum in manus incidere possent, de conservatione eorundem solliciti unquam fuerunt. Rudes enim & antiquitatum ignari, qui solent, quicquid sui juris fecerint, in lucrum & domesticos usus convertere (quo malo fato multa egregiæ vetustatis monumenta perisse novi) multo promptiores fuerunt ad hæc tam vilis artificii opera abolenda & in alios usus transfundenda. Eruditi & antiquitatum amatores solent de his loqui, ut Bœoticis ænigmatibus, quæ frustra erat aggredi, cum impossibile interpretari. In hanc mentem de Gothicis nummis iudicat Ludovicus Savot cap. ultimo eruditi operis de monetis antiquis, Spanhemius in laudatissimis suis dissertationibus de nummis.

Author elegantis opusculi:
La science des Medailles, & alii.

Mihi, cui in hisce nebulis non licuit magis esse lynceo, quam aliis, non abs re tamen visum fuit, si figuras hic proponerem nummorum nonnullas, hinc inde apud Antiquarios conquisitas, quos a Gothis nostris antiquis cufos credo, id

quod mihi perſuaſit ſimilitudo iſtorum cum ſequentibus Gothicis amuletis, quæ jam deſcribere libet, & plura hic dicenda reſervabimus ipſi inſecuturo operi.

Præter hos jam datos Gothorum & Cimbriorum antiquorum quos credimus nummos, ſuperſunt hodiernum Aurei quidam orbes, tenues & anſulam plerumq; habentes, quæ collo aut membris aliis appenſa fuiſſe olim videntur.

Quinque tales deſcribit & doctiſſimis, more ſuo, commentariis illuſtrat *Thomas Bartholinus Antiq. Danicar. lib. 2. cap. 9.* quos depiçtos hic coram cernere licet.

Binos ejusdem generis exhibet G. Dan. Major in libro de primis Cimbrorum Coloniis cap. 49. ſed malè ut credo a piçtoribus aut chalco-graphiſ expreſſis unum ex hiſtoria naturali Oxoniënſi Rob. Plot. deſumpſimus, quem ille tamen malè pro Edvardi ſançti agnoſcit.

Duos ipſe poſſideo, quorum unius utrumq; latus depingendum curavi, ſecus, quam in reliquis factum, ubi altera pars vacua fuit. Alter, quem habeo idem omnino eſt cum ſecundò Bartholini adeò elegans & integer ac ſi hodie ſignatus fuiſſet.

Similes a Scheffero deſcribi & proponi Bartho-

th omnis refert, & ejusdem generis aliquot apud Paulum Petaivum in Gnorismate nummorum antiquorum intueri datur. de quibus in posterum latius.

Et complures alibi apud diversos servari scio, quos longum foret hic recensere, cum sapientiores inde fieri non speramus.

Videtur autem imago illa, quæ exprimitur rudi artificio in talibus, omnino Dei, aut Herois alicujus facies, quam evidentibus probat Bartholinus exemplis, ita ab antiquis expressam fuisse non in metallo solum, sed aliis etiam alicujus pretii rebus minoribus, & in crumenis, aut alibi circumgestatama superstitionis hujus aut illius Dei cultoribus. Ornabant talia idola gemmis eodem modo, quò hæc capita in aureis hisce lamellis ornata cernuntur.

Avis istius caput, quod ut plurimum juxta faciem virilem cernitur dextrè interpretatur Bartholinus de Corvo, qui in superstitionibus antiquorum septentrionalium frequentem habebat locum, & quidem ex antiquissima origine; Illi enim primi nostri Cimmerici Parentes & corvi & tauri sacra secum ex oriente attulerunt. A Noachi corvo per deliram superstitionem illa de corvo traxerunt deliria. Noverant emissum fuisse

fuisse corvum ad terram explorandam, id quod nihil myſterii habebat ; Nam & nautæ hodie-
 ni qvi ex longis redeunt itineribus, à corvis &
 aliis avibus, ubi occurrunt, dijudicant haud pro-
 cul a terris ſe abeſſe. Scite ideoq; Callimachus
 in hymno Appollinis : Καὶ λιβύην ἰσιόντι κόραξ ἠγάσσατο
 λαῶν Δέξιϑι δικυστῆρ 3: Intranti Libyam populo Dux
 viæ erat corvus dexter. Sapienter ideoq; Flo-
 co ille, qvi juffu Haraldi inſulas maris borealis
 detexerat corvos ſecum ſumpſit, qvorum unum
 in medio mari cum emiſiſſet, & eundem retrò
 tendere videret adhuc curſum aliquot continu-
 avit diebus, & ſecundum emiſit, qvi auſtrum
 verſus, ut Petrus Claudii refert, ſed in navim
 revertebatur, ut Landnama ſaga dicit. Tertius
 autem corvus demum emiſſus rectà ſeptentrio-
 nem verſus tendebat, qvem inſecutus Floco Is-
 landiam invenit. Hoc ſanè cum Noaichi factò
 apprimè convenit, veluti & diſcimus alibi co-
 lumbas navigantium duces fuiſſe, id quod Vel-
 lejus Paterculus lib. 1. cap. 4. de Hippocle & Me-
 gaſthene refert cum in Italiam tenderent. Nihil
 ergo eſt quod impedit, qvin credam Cimbros
 vel Gomeritas ex Aſia proficiſcentes, & obvia ti-
 mentes maria, corvum maritimi itineris ducem
 habuiſſe ad exemplum Noachi, & Taurum
 itine-

itineris terrestris ad exemplum Osiridis, Chamī aut alterius cujusdam, ut in libro nostro de Taurō hōc Cimbricō latius dixerimus, & inferiūs paucis attingamus, unde & invenio, Eddam inter alia Epitheta Oddini seu Othinī ponere Hleifrodur ɔ: maris Arbitrum, & Hleifreir, qvōd est Dominus maris. Hinc est qvōd & Corvus & Taurus in septentrionalibus lingvis adhuc evidenter retineant orientalis originis luculenta vestigia. Hebræi vocant corvum עֵרֵב horeb, vel āareb. unde Arabes fecerunt gorab illam autem aspirationem ɔ imitaturi septentrionales antiqui Hrafn dixerunt, cum litera f & b facillimè & frequentissimè permutantur. Inde est Saxon. antiqvū hrafen, & rafen, Anglic. a Rawn, Germ. Raben, imō ab Horeb Ebr. vel gorab, Arabum est corvus latinorum, κόραξ Græcorum. & omnes postea corvi appellationes in reliquis lingvis Europæis. Non miror postea a Septentrionalibus tractos fuisse corvos ad plures superstitiones, cum Odino sacri credebantur & auguriis ac divinationibus ejus inservire putabantur, ut apud Græcos & Romanos olim in Apollinis oraculo; Uti enim Odinum describit Edda Mythol. 34. qvōd singuli corvi singulis ejus humeris insistant, & absconditas res ipsi in aurem

fufurrent, ita depingitur Apollo & in gemmis &
 ftatuis antiqvīs, cum advolantibus ad utramq;
 aurem corvis, qvālis figura cernitur apud Vincen-
 tium Chartarium pag. 49. Edit. Pignor. Poſteā in
 vexillis militaribus Cimbrorum hic Corvus locū
 obtinuit, non ſecus ac Taurus, de qvo nos alibi.
 Et elegancia aliquot teſtimonia Bartholinus ha-
 bet, unde adparet Cimbros antiqvos non modò
 corvos, in vexillis & Labaris expreſſiſſe, ſed &
 magica ſæpe vexilla habuiſſe ita occultis artibus
 parata, ut qvoties victoria ſperanda eſſet, corvus
 volitans & alas qvatiens in vexillò hòc porten-
 toſò appareret, ſi verò clades inſtaret, demisſis
 pennis ſe conſpiciendum præberet, ut in Alfre-
 di Magni vita a Spelmanno ſcripta & ab Alumnis
 aulæ univerſitatis Oxoniensis edita, pag. 31. Enco-
 mio Emmæ Reginae, qvòd eſt inter rerum Nor-
 mannicarum Scriptores a Lindenbrogio editos,
 Hiftoriā *Olai Tryggonis* et: aliis refertur. Unde
 forſitan ex antiqvā ſuperſtitione bonum omen
 ſuſceperunt Waldemari primi milites jam cum
 Svenone pugnaturi ex frequenti corvòrum gre-
 ge, qvī aciem ipſorum intervòlabant ut Saxo re-
 fert libro 14.

Animal illud qvadrupes, & informe admo-
 dum qvòd in iisdem cernitur, omnino Taurus
 vide-

videtur ex cornibus suis satis magnis, cujus animalis quanta fuit antiquis septentrionalibus veneratio, prolixè diximus in libro singulari de Tauro Cimbrico. Primi scilicet Noachi posterius agriculturam huic animali præcipuè deberi animadvertentes, simulq; ejus animalis ductu nova sibi versus Septentrionem aperientes quotidie pascua, insignes ipsi mox decreverunt honores, unde Osiridis, Isis, Apidis & Serapidis sacra exstiterunt, quæ omnia Cimmerici, nostri Parentes ex Oriente secum in boream transtulerunt. Hinc non ipsum modò animal hoc antiquis Cimbris nostris in veneratione fuisse alibi observamus, sed & frequentes, ut aliorum Deorum, ita & bubulas incunculas & averruncas e metallo hujus animalis imagunculas fundebant, & circumgestabant, non domi solùm sed & in peregrinationibus & expeditionibus suis, unde in signa militaria sacra Cimbrorum irrepsit etiam Taurus. Nec alium per hunc Taurum intelligebant, quàm ipsum Thoronem, Thor, Thorder, Tyr, vel quò aliò modò Deum hunc Septentrionalem appellârunt, qui ipse Apis & Serapis erat Ægyptiacus. Et ipsa antiqua Orientalis appellatio evidens hujus rei perhibet testimonium; Nam שׁוֹר Schor Ebræorum quod taurus est, in omnibus fermè

aliis lingvis primam literam emollit & t inde facit ut Chal. תור Tor, Æthiopicum : Tora species Bovis. Arabicum الثور thauron, unde est Latinorum Taurus, Græcor: ταῦρος, Georgianorum thauros, Gallorum Taureau, Hispanicum Toro, Gothicum & Cimbricum Tior, quod hodie nobis Tyr dicitur, quæ ipsa est idoli hujus Cimbrici appellatio. Quid mirum ideoq; si Deum, Heroem, vel Principem illum in aureis, nostris Lamellis æquè apud Taurum Toronis, quàm Corvum Odini conspiciamus ut efficacius & potentius foret fascinum seu amuletum.

Pumilionem seu Nanum etiam videre licet non in primo illo solum aureo nummo, (si nummū dicere licet) *Bartholini*, sed & in meo, imò & eundem alibi in similibus sum contemplatus. Eodem autem jure in hæc amuleta Cimbrica adsumptum fuisse Nanum seu Pumilionem, breviter monstrabo.

Nanus seu Pumilio lingvâ nostrâ dicitur Du-er, vel Duerg, antiquitus Duergur. Et fuerunt Nani olim semidæmones a septentrionalibus putati, pro geniis locorum habiti, & in superstitionibus antiquis Cimbrorum non ultimum possederunt locum. Ipsa sanè appellatio ipsorum cum officio, quod ipsis tribuebatur, exactè convenit.

venit. דור Dor seu Dur Hæbræis est habitavit diu, totam vitam in aliquo certo loco egit, & Duergi seu Nani illi putabantur ab antiquis Cimbriis inhabitare certa loca per omne mundi tempus. Præcipuè autem in colliculis & lapidibus majoribus stationem ipsis assignabant. Et plenæ sunt adhuc historiæ nostræ talibus sive fabulis sive illusionibus præcis, a Dæmone forsitan credulæ plebi illatis, & nihil frequentius narrat vulgus nostrum, ubi de antiquis temporibus sermo est, quàm tales Duergos & Nanos in multis harum Regionum collibus & lapidibus olim commoratis, & subinde cum hominibus versatis, ut Hæmelmannus in Chronico Oldenburgensi aliquot historiis confirmat, & multi alii infinitis indicis comprobare conantur. Ita Chronic. Norvag. de Sveigdero Rege refert, quod a Duergo seu Nano tali prægrandis cujusdam lapidis habitatore invitatus nunquam redierit. Et de aliis quatuor Nanis, qui lapides majores inhabitabant haud longè a domicilio Ordini Regis & fabrilis pollebant arte, aliæ Norvegorum historiæ loquuntur. Hi autem credebantur non hominibus modò vicinis, sed & gregibus & armentis valetudinem & fecunditatem afferre, omniaque habitationibus suis vicina loco potenti patrociniò tue-

ri, si alias amicè colerentur, comiter tractarentur, & debitis placarentur donis, de quibus alibi latius differimus, ut sic idem Duergi seu Nani hi apud Cimbros fecerint, ac genii & Lares Romanorum.

Sic elucet cur Nanus in amuletis illis antiquis Odino & Thoroni jungitur, ad domesticā scilicet felicitatem & foecunditatem impetrandam, veluti Odinus & Thoro ad expeditionum felicitatem terra mariq; attrahendam ibidem apparent. Quæ adeò clarè, ut speramus, jam sunt demonstrata, ut nemini dubius esse poterit horum cimeliorum usus olim, qui alius non fuit, quàm averruncandi infortuniā, & felicitatem, ut credebant, obtinendi, cujus etiam gratiā collo vel aliis membris alligata, quod anfulæ testantur ut plurimum affixæ, a possessoribus circumgestari solebant, quod aliis multis nationibus in usu fuit, nec hodie a Christianorum nonnullis omittitur.

Sed multa horum ejusdem generis & signaturæ fuisse olim inde evidenter colligo, quòd *Thomas Bartholinus* unum proponit inter ea, quæ delineanda curavimus, secundum cujus generis mihi unum est elegantissimū ex Cimbria transmissum, easdem omnino figuras, notas & caracte-

raçteres sine punctuli cujusdam differentia ostendens, ut idem omnino esse jurarem, ni scirem illud a *Bartholino* descriptum alibi servari.

Nec vulgaris hæc est observatio, quæ docet nos talia antiquorum cimelia forsitan publica fuisse, & ex eadem officinâ plura prodiisse, nec, ut nonnulli censent, ex privati alicujus voluntate hoc ita, aut aliud aliô modô fuisse signatum.

Quia autem jam aurea ista antiquorû Cimbriorum amuleta in formam nummorum expressa dedimus, bracteatos quoque Danorû nummos quàm brevissimè attingere placet. Tales vocantur Germanis *Leichte-Pfenninge* / *Blötterlinge* / *Hoble-Pfenninge* / *Schüssel-Pfenninge* / 3: Latine si exprimas nummi levissimi, lamellæ, nummi concavi, nummi patellæ in modû formati. Danis vocantur *Hule-Penge* / nummi concavi, id quod aliquoties in historiis occurrit, & natantes nummi *flodende Penge* / quia, si leniter imponantur aquis, instar Schyphi concavi natare possunt, & *Sildesfiel* / 3: squama halecis, propter tenuitatem & levitatem. Constat autem, hoc nummorum genus ab antiquis excogitatum ad fallacias adulteratorum compescendas, qui crassioribus & solidioribus nummis facile vili oris metalli lamina includere potuerunt, quod frequen-

q̄uenter observatur in Romanis illis, q̄vos Galli medailles fourees, Latini subæratos dicunt. Forsitan etiam ad compendium laboris in cudendo, hos receperunt nummos, q̄vorum facillima est fabrica. Quando incepit id monetæ genus apud singulas nationes difficile dixeris. Haud paucis sanè seculis Danis & Cimbris illi concavi nummi fuerunt in usu. Et sine dubio diu ante Christianissimi tempora apud nos cœpit, utpote & aureæ illæ lamellæ superius memoratæ ad concavos pertinent, & multa alia hujus generis adeò misère efformatæ reperiuntur, ut ante hæc tempora, aut cum ipsis his nascentibus cusa sint temporibus omnino. Multos habeo cum capite Tauri eximiè cornuto, q̄vi an de tauro illo antiquo Cimbrico sint intelligendi nescio, alii alias habent notas, characteres & figuras, de q̄vibus nihil certi nunc statuere possim, q̄voniam brevi de iis longè dabimus plura. Et ab antiquissimis illis temporibus ad superius usq̄ve proximè seculum per omnes ætates viguit hic concavos nummos cudendi mos. Sed credo in minoribus solum eos adhibitos fuisse commerciis, unde & diplomata varia & documenta antiqua ubi de majoribus solutionibus agitur, excludere solent concavos nummos.

Qvi-

Quibus autem temporibus multi horum sunt adscribendi, vix dicam. Ante annos perpaucos, cum in pagò quòdam binis hinc milliaribus distante fieret sepulchrum, detexerunt lignibus magnam levium horum nummorum copiam, qui olim stanneò reconditi fuerunt cantharò, quem nunc, præter frustula & ansam adhuc integram, consumpserat ætas & rubigo. Hisce autem concavis nummulis maxima parte argenteis, immixta erant alii solidi nummi haud pauci, qui evidenter Edwardi, Henrici & aliorum Anglicorum Regum nomina legenda dabant, & antiquitatem satis magnam præ se ferebant. Sed de iis plura inferius. Præter Reges & Principes, Episcopos & Abbates, etiam ipsæ civitates, & civitatum magistratus tales minuti valoris signaverint nummos, unde civitatum plurimarum nomina in his iisdem videmus simul cum Regis effigie, uti Alaburga, Heringa, Wiburga, Arusia, Randusia, &c. quorum exempla ad undecim a Christo seculum observamus. Alii Templum, ædificium, armatos milites, nudum quoddam caput, aut aliud quiddam ostendunt.

Effodiuntur & hujus generis majores apud nos subinde ex purissimò argentò, quales aliquot mihi ad manus venerunt, quorum nonnulli E-

Piscopum vel Abbatem quendam sedentem exhibent, sed nobis incognitum.

Post gloriosissimum etiam stirpis Oldenburgicæ inceptum apud nos regimen tales concavi minores nummi sunt cusi, quales sub Johanne, Christiano secundo, Friderico primo, Christiano tertio, Friderico secundo, imò & Christiano quarto invenire est, qui omnes unicam ab alterâ parte impressam habent literam H. F. vel C.

Postquam autem Christiana religio cœpit boream invadere, & sensim ibi sedem stabilire suam, assueverunt Gothi, Cimbri & Dani nostri externis moribus, ut non fidei modò sed & reliquæ vitæ societatem indicarent. Contigit quidem, ut fas est credere, prima per septentrionem Christianæ Religionis notitia, tunc cum Torchillus Danus post exantlatos multos terrâ mariq; labores miseram idolorum septentrionalium conditionem Danis detexit circa medium fermè octavi a Christo seculi, & si Gormonis filia, qui tunc Danica tenebat sceptrâ, Withichindo Saxoni Christiano Principi nupsit, ut perhibent historiæ, admodum verisimile est, ab hac parte Christiani nominis cognitionem Danis quotidie afferri potuisse. Sed elapsus jam
erat



erāt noni seculi Christiani annus vicesimus sextus, cū Haraldus Blaataud per solenne baptismi lavacrum viam Christianæ religioni ubiq; per septentrionem aperuit, ex quō tempore per multas vexationes & crebros Tyrannorum impetus demum sub Svenone Furcatæ barbæ adeo altas & firmas hîc fixit radices, ut a nullâ deinceps temporum immanitate extirpari aut profligari potuerit.

Per illud autem satis longum spatium, quō Christiana Religio vacillante adhuc gressu quasi per nostram incedebat regionem ab unō principe vocata, ab aliō proscripta nunc confirmata, nunc iterum abrogata, per plurimos illos credo fuisse cufos, qui utrinq; quidem signati hinc faciem cum mirâ in singulis varietate & ornatu, illinc castellum, templum, animal quoddam, aut aliam quādam obiter conceptam figuram. Sed hîc satius est nobis certam singulorum dare figuram, quā de singulis incertam formare conjecturam. Præsertim cū omnia huic specimini includere non cogito, plura alii tempori refer-
vaturus.

SVENO-OTTO, seu SVENO FURCATÆ BARBÆ.

Nascebatur Sveno hic Haraldi Blaalandi filius in Fionia apud Illustrem hujus Provinciae Heroem Palnonem Toke, baptizatus est una cum Patre Haraldò Blaalandò, & Novercâ suâ Gunhildâ annò Christi 938. vel decennium postea, consilio Otthonis Magni Imperatoris, qvì hunc Haraldi filium ex baptismo suscepit, & ipsi suum indidit nomen, ut SVEN-OTTHO diceretur. Ubi adolevit, piraticam exercuit cum Ethnicis illis Balthici maris deprædatoribus, qvì in decantatò Pomeraniæ locò Julinò habitabant, & ex ipsorum consortiò ad antiquam Idololatriam & Ethnicam superstitionē relapsus non modò pietatem in Deum exiit, sed & in parentem, qvem rebellium & piratarum auxiliò ad necem usque compulit circa annum decimi seculi octuagesimum. Eò extinctò Daniæ Imperium cepisset, sed diu infelicissimè gessit, ab hostibus imperii vexatus profligatus & aliquoties captus, ut toties redimendo Principi vix sufficeret aurum & argentum totius regni.

Vidit igitur tandem, omnia sibi ob desertam Religionem, & impios in parentem ausus adeò
sinistrè



P37

finistrè & luctuosè evenire. Vidit & agnovit ultricem justissimi Numinis manum, ideòq; sinceram delictorum pœnitentiam testatus, rediit ad se, ad cœtum Christianum, ad Deum & ad pristinum splendorem & decus, imo Norvegiam, Angliam, aliasq; plures sibi regiones subjecit.

Est mihi nummus Argenteus hujus Regis, cujus unum latus Regem ostendit galeatum, & chlamyde indutum, cum barbâ protensâ & divisâ quæ cognomen furcatæ barbæ ipsi addidit more antiquissimò septentrionalium, qui a vestitu, capillis, vitiis & virtutibus aliisq; corporis vel animi qualitatibus viros præstantiores denominare solebant. Ut in ipsò opere plenius demonstratur. Conversionem & Religionem crux illa indicat, quam manu præfert locò sceptri. Titulus & nomen Regis SVEIN quod luculenter expressum legitur, eodem modò apud antiquos Scriptores habetur, utpote apud Adamum Bremensem, in encomio Emmæ Reginae & aliis scriptis huic ætati vicinis. Quæ in avertò latere sunt, quamvis satis clarè videri possunt, tamen locum vel castrum quoddam hodie ignotum indicare videntur. In Angliâ cusum fuisse hunc nummum a Svenone extremis suæ ætatis

temporibus neutiqvam dubito. Solent enim multi imò omnes antiqui Anglici nummi talem, qvalis in averſo latere eſt, crucem præferre cum punctulis & ornamentis, qvòd clariffimum mihi eſt indicium, alium Svenonem hìc non intelligi poſſe qvàm hunc, qvi Angliam ſimul tenuit.

CANUTUS SECUNDUS, S. MAGNUS.


Filius Svenonis Furcatæ barbæ erat Canutus ob rerum geſtarum magnitudinem Magnus appellatus omnium Regum pulcherriſſimus, ſtrenuiſſimus & largiſſimus, ut Ericus Pomeranus ait. Ille poſt obitum Patris ſtatim ad Danicum acceſſit imperium anno 1012. aut 1014. ab Anglâ autem exclusus ab Ethelredo, qvi a Svenone Canuti Patre regnò Anglicò exutus in Normanniam & Flandriam profugerat, & nunc ab Anglis revocatus avitum reſumpſit imperium. Canutus autem, ut erat dives & largus, præcipuos qvòſdam Angliæ Proceres donis ſibi conciliavit, & ſic armis primò dimidiâ: Mox poſt Ethelredi & Edmundi obitum totam Angliam ſibi ſubjècit, eòdemq; modò, pecuniis ſcilicet & largitionibus Norvegiam legiti-
mis

mis Dominis ereptam sibi adjecit, Danicumq; imperium a parte Slavoniæ, Germaniæ & Vandalia latè adauxit, crudelitatis quidem vitiò ab initio infamis, sed demum Justissimus Regnorum suorum Gubernator, & Religionis Christianæ etiam ad superstitionem usq; propagator; Suscepit enim Religionis gratia iter ad limina Apostolorum Romana, ubi supra modum se liberalem exhibuit in omnes ædes & loca sacra, ut ipse latè differit in Epistola Elnotho Archi-Episcopo Angliæ scripta. Imperatoriam Coronam capiti suo exemptam Christi cruci affixi imagini in templo Wincestrensi imponi jussit. Legibus quam plurimis utilissimis regna sua devinxit, & felix imperium ad obitum gessit suum, quem nonnulli Rhotomagi in Galliis alii autem verius in Anglia contigisse ferunt anno 1036. d. 12. Nov.

Multos hunc Regem longò sui Imperii spatium cudisse nummos verisimile est, nec alios adhuc cernere contigit, quam in Angliam signatos, ubi plurimum tempore resedit. Inde est, quod Chronicon Norvagicum refert, legatos Canuti ad corrumpendos Norvagiæ Procures emissos primo verbis omnia fecisse, sed frustra, deinde ex crumenis suis effudisse magnam copiam
am

am Anglici numismatis ex argento, cujus nitor oculos horum Procerum pertingebat.

Ex his nummis Canuti Magni esse credo qui adhuc supersunt tam ex argentò, quàm viliori metallò. Joh. Mulenius in Catalogò nummorum Danicorum binos meminit, quorum unus faciem Regis seniore, alter juniorem exhibuerat. Mihi haud pauci contigerunt omnes qui dē cum eadem unius lateris inscriptione CNUT REX ANGLORUM, sed cum faciei insigni varietate, quæ diversam Regis ætatem declarat, quâ singuli horum signati fuerunt. Diademata, quibus cingitur Regium caput, non eadem ubiq; sunt, sed in nonnullis coronaria, in aliis pyramidata. Quæ diversitas an aliquid significet ignoro. Forsitan Græcos Imperatores, quorum magna apud Danos erat existimatio, imitari voluerit, aut forsitan post consecratam Christo coronā imperialem, aliud sibi capitis tegmen sumpserit. Quid averſa nonnullorum ex his nummorum facies legendum præbet dicere haud sustineo, quanquam literæ non adeò sunt obscuræ. Titulus Regius esse non potest; Non enim respondent illæ literæ nummorum titulo illi, quem Canutus in literis & diplomatibus usurpavit suis, uti ab Epistolâ ejus dignoscitur, quam Româ domum



domum scripsit ad Elnothum cujus tale est initium. CNUT REX TOTIUS ANGLIÆ, DANIÆ, NORVEGIÆ ET PARTIS SVECIÆ. In Epistolâ tamen quam Canuto nostro scripsit Fulbertus Episcopus Carnotensis, gratias ob liberalitatem in Ecclesias agens talem inscriptionem observant: NOBILISSIMO REGI DANOMARCHIÆ CNUTONI. Sed forsitan monetarii alicujus viri, ut & loci seu castri nomina sint, quæ in averfis his nummis leguntur. id quod clarè satis videtur in nonnullis & Spelmanno etiam placet in vitâ Alfredi, unde varios ejusdem Canuti nummos huc transferendos curavi, & coeteros partim ex propriâ Musæo meo partim aliunde collegi. Superiori annò, cum prope Viburgum in agris cujusdam Civis foderetur, haud parva multitudo ejusdem generis eruebatur, quorum alii Athelstanum alii Ethelredum, Edvardum, Edmundum & Canutum habebant.

Siquidem autem non Canutò modò sed & Svenoni Patri ejus multum fuerit negotii cum Ethelredò Rege Anglicò, placuit nummos ejus adjicere duos, qui in manus meas venerunt, præsertim cum sæpè iidem inveniuntur in nostris regionibus, unde & mentio illorum fit apud

Mulenum nostrum in Catalog: numm: Ser: 36. Loccenium Antiqv. Sveo-Goth. cap. 8. Wormiū in Muleō suō pag. 361. ut & in monument. Dan. Sed cur Loccenius dicit hanc Ethelredi monetam Sterlingiam fuisse, & ex commerciorum foedere per totum Septentrionem receptam, equidem ignoro; Scio enim Johannem Regem Anglorum, qvi regnare incepit annō Christi 1199. inter alias leges, primō Sterlingiam monetam introduxisse & lege sanxisse, ut mihi Author est Rich: Baker. Chronic. Reg. Anglor. p. 106.

Hōc autem tempore persvadeo mihi Canutum, qvi primus Religiosi ordinis viros in Daniam misit, multosq; ab Angliā in has regiones Episcopos ablegavit, ipsis etiam non minus ac Abbatibus & aliis Præsulibus concessisse jus cudendi monetam, prout in Angliā illud moris esse deprehenderat.

CANUTUS TERTIUS

seu HARDY-CANUTUS.

Filius Canuti Magni ex Emma Ethelredi Angliæ Regis viduâ erat hic Hardy-Canutus, qvi in Angliâ natus huic imperio à Patre destinabatur. Monente autem Patre, cum in Da-

Daniâ esset, frater ipsius Haraldus Canuti Magni itidem filius ex priori conjugio ex absentia Hardy-Canuti viam sibi ad imperium Anglicū aperuit, sed quadriennio solo tenuit, quò exactò, obiit ille sine liberis & Hardy-Canuti jam jam Danorum Regi etiam Angliam reliquit obtinendam. Dum autem soli Daniæ, jam ante præerat Hardy-Canutus, gravia cum Magnò Rege Norvegiæ S. Olai filiò gesserat bella de imperiò Danicò, & pacem cum ipsò hisce ini erat conditionibus, ut ipsi, qui ex ambobus alterum vitâ superâret, utrumq; ex pactò habendum esset regnum Danicum & Norvegicum. Iam ità in fatis erat, ut prior decederet Hardy-Canutus, qui nec uxorem, nec liberos habuerat ullos, cum Daniæ Sex annos & menses aliquot, Angliæ autem biennium, & quod excurrit, imperaverat, Vintoniæ sepultus juxta Patrem Canutum Magnum circa annum Christi 1044.

Sed quod hic nobis observandum est, adduci non possum ut credam, Harde-Canutum, seu Hardy-Canutum, ita ob asperitatem, quæ Danicè Haarhed dicitur, utpote Haard. s. Hard Durus fuisse vocatum, sed potius nomine distinctivò ab aliis Canutis ità dictum, aut ad mi-

nimum multò usitatus hoc ipsi fuit cognomen, quàm alia aliis Regibus cognomina, utpote quod semper ipsius nomini annexum videmus, secus quàm alia aliorum Regum cognomina. Adamus Bremensis, qui iisdem temporibus vixit, nunquam eum nisi HARDE KNUT unicò nomine appellat, cum cœteros tamen Reges, quibus etiam sua fuerunt cognomina, nudò ubiq; nomine meminit. Vilhelmus Málmesburiensis, eodẽ modò, & omnes præterea Angli Scriptores, à quibus plus discimus de illorum temporum Regibus nostris, quàm à nostratibus Scriptoribus, qui pauci sunt oppidò; in antiquis membranis Runicis seriem Regum Danorum complectentibus, quas monumentis suis subiecit Wormius, etiam HARDE KNUT vocatur, cum aliis tamen Regibus sua cognomina separatim adjiciuntur. Præterea nescio, unde recentiores Scriptores hanc ejus appellationem ad duritiem & asperitatem ejus trahere potuerint, cujus nulla singularis existit crudelitas vel asperitas, nisi decepti fuerint à voce HARD, quod Cimbris erat durum, cum hinc non denominatum fuisse HARDE KNUT, sed à Provinciâ quâdam Anglicâ, ubi natus fuerat, ut Sveno Aggonis in compendiò Regum Danic. p. 83. testatur.

Et



Et fuerat diu ante eum alius Canutus Sigurdi Regis Norvagici & Bleiæ Reginae filius, etiam HARDA-CNUT dictus, quia in Eadem Angliæ Provinciâ Hard-Syssel hodie Hartfords-Shire natus erat, ut Chronicon Norv: testatur. Unde credo omninò Hard-Kanutum Canuti filium & successorem sic se appellandum voluisse ad discernendū suum nomē à Patris qui proximè præcesserat, illudq; in edictis, literis, & placitis adhibuisse. Hinc credo genuinum esse nummum, qui tab. V. invenitur apud Spelmannum in vitâ Alfredi, hinc Regem Diademate cinctum more ejus temporis Romanorum, illinc titulum Regium HARDA-CNUT. Quid enim commodi, lucri vel utilitatis inde perciperet aliquis, ut hoc pro lubitu conficto nummo aliis imponeret, quod nunquam credam, sed facile mihi persvadeam id quod supra indigitabam, illum voluisse aliquod discrimen à Patris proximè in regnò antecedentis nomine, quò dignosceretur à Posteris. Sed quid mihi aut aliis dubii erit porrò, quibus meum nummum purissimi argenti sed verissimæ antiquitatis ostendere possum, quamquam, superiore longè minorem, ut Tab: monstrat, qui hinc Canutum Chlamyde & diademate cinctū, cum inscriptione perspicuâ HARD CNUT

& illinc crucem &: OSMVND ON NORPI 3.
Osmundus Monetarius Nordvicensis. De qvò
rarissimò nummò & aliis pluribus plenius in ipsâ
historiâ Monetæ Danicæ disserere cogito, cum
& amicos novi, qvi nummos cum simili inscrip-
tione possident.

MAGNUS. S. OLAI FILIUS

REX Dan. & Norveg.

Postmortem Harde-Canuti, Magnus REX
Norvegiæ Daniam ex pactò cum Danis
jam dudum initò obtinuit, volentibus
Regni Proceribus potius ea, de qvibus qvon-
dam ipsi convenerant inter se Regis, facere ra-
ta, qvam dubia de novò subire bella. Tradun-
tur igitur Magno Norvegiæ Regi Danici impe-
rii scepra simul moderanda, licet renuente Sve-
none Esthritio, Canuti Magni Nepote ex E-
sthritâ sorore Hic enim proximum se post obi-
tum Hardi-Canuti Danici Imperii hæredem
ratus, illam cum Magnò factam pactionem non
curans armatâ manu avitum regnum recupera-
re studuit, sed frustra semper, qvamdiu in vi-
vis Magnus erat, qvi fortunâ & viribus supe-
rior Svenonem ubiq; fugavit, & fugientem pro-
seqvebatur, & penitus confecisset nî interveni-
enti-

entibus fatis vitam simul & propofitum defere-
re coactus fuiffet. Saxo ait ipfum eqvò leporis
occurfu perterrefactò præcipitatum & ftipiti
violentius adactum occubuiſſe , Adamus Bre-
menſis ait in navibus eum exſpirâſſe , qvò ta-
men Saxoni non adverſatur , illicò enim poſt
caſum non deceſſit, ſed in proximum eſt delatus,
forſitan Navigium , ut Bremenſis ait Chroni-
con Norvag: dicit eum in villâ Jutiæ Suddatorp
obiſſe ubi & Sveno Eſthritius deceſſit. Conti-
git autem hoc circa annum Chriſti 1048.
Nummos ejus Regis videre adhuc contigit nul-
los , qvos ipſum cudiſſe haud fas eſt dubitare.
Neqveo enim diſſimulare , Danos olim rudes
& cognitu difficillimos habuiſſe nummos qvos
videtur Anglia perpoliviſſe, qvamdiu Danis pa-
ruit, qvæ ſimulac ſui juris eſſe cœpit , monetæ
Danicæ multum deceſſiſſe pulchritudinis com-
peri. Si qvi ergò ſuperſunt nummi hujus Re-
gis, forſitan adcò pravè ſunt formati, ut legi &
diſcognosci neqveant. Haraldus Haarderaade, cum
qvò Norvegiæ Regnū partitus fuerat Magnus,
iterū cum Magnò partiebatur qvicqvíd apud ex-
teros Græcos, Saracenos, & alios conqviſiverat,
theſauri , in qvò tanta erat ſignati & elaborati
omnis generis metalli copia , ut majorem nun-
quam

quam viderit ad id temporis septentrio, teste
Norvagicò Chronicò.

SVENO ESTHRITIUS

Cognomentò MAGNUS.

Filius hic erat Ulfonis Angli, & Estthritæ
Canuti Magni Sororis, qvi & hunc Nepo-
tem suum regiè educandum in spem im-
perii alicujus obtinendi curaverat. Post obitū
Harde - Canuti Danicum imperium, quantò
potuit nisu affectavit, sed semper adversò suc-
cessu, adeò ut demum Daniæ finibus excede-
re, & omnem simul spem imperii abjicere co-
gitaret, cum jam abiturus de morte inopina-
tā Magni Daniæ & Norvegiæ Regis certior fa-
ctus, inermis illud obtinuit, quod armis toties
frustra tentaverat. Danico igitur imperio ad-
motus, etiam de Anglia cogitavit, quod tamen
mox abjecit propositum ab Edvardò Angliæ
Rege exoratus, qvi non modò tributum ipsi
concessit, sed & ipsum post se proximum An-
gliæ, hæredem scripsit, ut Ad: Bremensis lib. 2.
ait, Et quis non rideat ineptas Monachorum
fabulas qvi contra omnem historiarum fidem,
ut extollant Edvardi Anglorum tunc Regis San-
ctitatem, ajunt ipsum sub celebratione Missæ
vidis-


vidisse per revelationem Cœlestem, qvomodò Rex Daniæ, (qvi alius, qvàm hic Svenoeffe non potuit) cum vellet instructâ classe Angliam petere, navim conscensurus in mare deciderit, & undis absumptus fuerit, id qvod ita contigisse aliquot diebus postea nunciatum est. Hanc relationem rideat & videat, qvi vult, in Theatrò Principum Sanctorum impr: 1627. p: 146. Svenoe autem Esthritius noster longum & felix egit imperium, sui aliquando intemperantior præsertim ad iram & venerem, sed multis virtutibus Regiis commendatus, Divini cultus observator sedulus, templorum restitutor indefessus, literarum & scientiarum cultor assiduus, & Patronus beneficus, qvatuordecim filiorum Patrens, qvorum qvinq; ordine imperium Danicum administrârunt, unde & vulgò Regum Pater dicebatur. Obijt autem in pagò jutiaë sudatorp, ubi & Magnus obierat ætate & felicitate satur anno Christi. 1074.

Per tot & tam felices imperii sui annos, qvin monetam copiosam cuderit Svenoe nec dubito nec dubitare debeat, cum Avunculi sui Canuti tam nitidam & frequentem monetam ad exemplum sumere potuerit. Etiam si altum est de Svenonis monetâ apud Scriptores silentium,

cum non edicta tot monetaria ostendere nobis sit possibile, quot suorum Regum jactitant extranei, nummos tamen hujus Regis adeò concinnos & pulchros ostendere possum, ut provocent facile elegantiam suam singulas aliarum gentium ejus temporis officinas.

Primus, quem ex hujus Regis monetam producere convenit, argenteus est purissimi metalli, hinc Regis faciem, cum literis: REX, illinc: SVEN DANORUM, cum elegantissimi, templi aut Palatii cujusdam structuram, quales in aliis suis nummis frequenter exprimendas voluisse ipsum, ex sequentibus adparet. Statim autem cum amissa Angliam immutata est Danicæ monetæ facies; Non enim post illa tempora (si stirpis Oldenburgicæ Reges excipias) ullus ex solidioribus nummis, & ab utraq; parte signatis (non enim loquor jam de concavis & bracteatis) faciem dimidiam Regis, ut in Anglicam fieri solebat monetam; ab altera parte, vel altera saltem aure obversa ostendit, sed totam faciem cum obversa fronte, ore & paludato pectore, qualis in hoc conspicitur Sveno.

Sive autem ad adulterationem monetæ prohibendam, quæ forsitan tunc invaluerat, sive, quod magis credo, ad monetam faciliori
com-



-P50-

compendiô signandam bracteatorum seu concavorum nummorum introductus fuit usus, video eos multum tunc temporis frequentes fuisse; Svenonis hujus sunt ex hoc genere & purissimi argenti, qui crucem cum literis SVENO in nonnullis, in aliis SVNO ostendunt. Sunt & ejus, qui faciem ipsius Majestatis tanè plenissimam præferunt cum inscriptione SVENO REX, quos tamen diversæ esse officinæ ex figuris apparet. Ex quâ elegantissimâ Svenonis Esthritii Monetâ liqvet abundè & antecessores & successores ejus admodum curiosam & bonam habuisse monetam, etiam si nobis ignotam. De his enim nemo cogitaverat unquam, & ego cum magnâ admiratione mecum agitavi lapis, quò pactò nihil nobis superesset de tanti & tam præclari imperii ejus monetâ, anteqvam superiori annò felici casu multi hujus & multiplicis generis diversi prope Aalburgam fuerint inventi, quorum haud pauci curâ & beneficiò fratris mei charissimi Dni: Episcopi Aalburgensis, patriæ antiquitatis assertoris & vindicis peritissimi, mihi contigere, ut sic spes nobis fiet, fore aliquandò, ut specimen hoc quaecunq; rei nostræ monetariæ novis, quos detegendos cum tempore spero, thesauris auctius & melius proditum.


Ipsius quoq; Svenonis hujus esse aliquot eorum, quos Tab. proxima repræsentat, nullus dubito, cum superius tale ædificium aliquod in nummō aliō argenteō ipsius observavimus, haud negantes nihilominus, quin forsitan nonnulli horum ad filios ejus pertineant, qui omnes æquè ac ipse templa, curias, Palatia, & alia publica ædificia variis in locis exstruxerunt.

Refero ad hæc tempora, vel horum temporum confinia illos concavos ex argenti nummos, eodem tempore prope Aalburgam inventos, qui nihil habent literarum, sed nudum quendam Characterem, loci alicujus vel monetæ viri impressum aliquod signum, Figuras illorum exhibet Tabula sequens, quam qui inspexerit mirari non potest, nos nihil certi de ipsis concludere posse, nisi quod ad hæc pertineant tempora, quia cum aliis eorundem temporum nummis inventi fuere, ex quibus quotquot literas habent eosdem habuisse artifices videntur, & subinde similes etiam characteres ostendunt.

HARALDUS HEIN. S.

Simplex.

Hic ex filiis Svenonis Esthritii, Patrem qui supervixerant, primus ætate sed virtute
&




P 5 Z

& sapientiâ postremus erat, unde & Hein dictus est. 3: Cos mollis antiquâ Cimbrorum linguâ, & inutilis ad ferrum acuendum, qualem & Haraldum credebant subditi ad imperium gerendum, cum ipsi ad hoc fastigium attingendum nihil præter ætatis prærogativam, & formæ, quam cum omnibus fratribus æqualem habuit, excellentiam, erat reliqui. Idcirco & imperio ferme exciderat, cum æmulus frater Canutus virtutis & fortitudinis magna ediderat specimina, quibus Procerum animos sibi conciliaverat. Haraldus autem magnis pollicitationibus & promissionibus immunitatis à pœnis, tributis, & bellicis expeditionibus vulgus ad se traxit, qui Canuti bellicolam perspicientes mentem futuros metuebant sumptus & bella, si imperio admoveretur. Igitur Haraldus imperium vix post quadriennes cum fratre Canuto lites adeptum segniter administravit, mitigatis ex voluntate vulgi legibus, imminutis, flagitiorum pœnis, & regni curis neglectis, privata incubuit Religioni apud Pontifices suos, sed diu non regnavit; Etenim sexto post obitum Patris anno, cum integro quadriennio discederat cum Fratre Canuto de Regiâ dignitate, & biennio solo regnasset, occubuit, prope villam

Scanix Dalby sepultus anno Christi 1080.

Per illud autem quadriennis litigii spatium, quod inter sese Haraldus & Canutus fratres de summò imperiò trahebant, illi argentei & concavi cudebantur nummi, ex eorum numero quos simul cum aliis Esthritiorum Regum nummis prope Aalburgam inventos fuisse diximus. Duos galeatos sibi invicem oppositos cum scutis & gladiis armatos Reges hi repræsentant, cum mediò inter utrumq; erectò vexillò, ferme eòdem modò, quò Cajum & Lucium Cæsares Augusti filios Romana delineavit antiquitas. Nec in aliis Danorum nummis duos ab unâ parte facies observare mihi adhuc licuit. Hic autem ita Haraldum & Canutum simul effinxerunt, eò scilicet tempore, quò dubia erat Danis opinio, quem ex ambobus imperiò præficerent, illinc annis Haraldi solis, hinc meritis Canuti multis invicem de summâ rerum certantibus, quæ contentio & subditorum dubitatio integrum quadriennium eduravit, sine apertò tamen bellò. Obtulit mihi hos nummos numero haud paucos idem fatum supra memoratum, quod reliquos Esthritiorum Regum nummos prope Aalburgam detexit.

Alii exstant concavi argentei nummi, qui
cir-



circa crucem quatuor dispositas habent literas ARAL, & hujus Haraldus sunt, qui ad exemplū Patris sui tales signavit.

Sunt & alii ejus itidem concavi, qui literam majusculam H. cum certis quibusdam punctis & lineolis spectandam præbent. Et hi in causā fuerunt, cur Haraldo huic etiam attribuo æneum quendam penes me nummum qui hinc eandem literam H. illinc rotam S. Catharinæ, ob templum scilicet quoddam, quod in hujus honorem alicubi erexit. Nisi potius voluerit aliquis hunc nummum ad Homerum Episcopum Ripensem referre, cujus hæc Patrona erat. Id quod per me liceat, dum spero, ut hoc specimen excitet alios ad meliorem in posterum cognitionem talium.

CANUTUS SANCTUS

Martyr Otthoniensis.

Ut è vivis excesserat Haraldus, nemine contradicente imperium Danicum Canuto fratri ipsius ætate proximo accidit. Hic jam antea bello innutritus varias subjugaverat Sclavorum & Zembiorum Provincias, crebrisque in barbaras terras excursionibus magnam sibi paraverat famam antequam Regiam attigerat

gerat dignitatem. Sed ad hoc fastigium ubi jam adscendit, justitiæ, pietati, & bellicæ virtuti ita se addixit penitus, ut parem ex prædecessoribus haberet neminem. Primus ille Episcopus inter Primates & Proceres Regni numerandos iussit, & divini officii ministros civilibus exemit judiciis & pœnis, Templâ ubiq; erexit, restauravit & ditavit, privatimq; ad exemplum Ecclesiasticorum Patrum duram exercuit vitam. Nullius indulgit delicto, unde legibus injuria foret, id quod nimix ipsi severitatis famam aliquousq; peperit. Amissam Patris indulgentiâ, & fratris ignaviâ Angliam non dolebat modò, sed assiduè reposcebat votis, donec, omnibus domi constitutis, exercitu contractò, classe instructâ, jacturam tanti imperii socordiâ factam, vi reparare tentaret. Frater autem ejus Dux Slesvicensis, qui non tam virtutibus Canuti invidebat, quàm ipsi imperio inhiabat, operam, quam ad hoc bellum promiserat, in fraudem, dolum & seditionem convertit, ad quam compescendam cum excurreret ab exercitu Canutus, milites & Duces ad id instructi & compositi, tadium morandi causantes signa deserunt & domos repetunt. Hanc contumaciam justò rigore ulturus Rex mulctam detertionis singulis imposuit. At illi



P.S.Z.

illi hanc exactionem gravati simul & pejora ab irritatō Rege metuentes, qvi ad decimas frugum plebi extorqvendas in usum sacrorum se obstināste videbatur, melius duxerunt inceptā contumaciam armis, qvā pœnis expiare, ideōq; adunati & conjurati prædia Regis diripiunt, ministros ejus opprimunt, ipsum non finibus modò suis ejiciunt, sed in Fioniam usq; persequuntur, ibiq; in templō S. Albani civitatis Otthoniensis precibus insistentem obtruncant die decimō mensis Julij Annō Christi 1086. Qvem tamen Diem cū Anniversarium festum a Clem. VII. Pont. Romanō obtinuerat Christianus Paynk Danus & Canonicus S. Petri, nescio qvō errore diem X. Jan: sc. festum S. Canuti Ringstadiensis cum hōc confuderint, ut ex Breviariō Romanō latius ostendo in commentariis meis ad Ælnothum Monachum. Uxor ipsi erat Ethela Roberti Flandrensis Comitis filia ex qvā Carolum suscepit Flandriæ postea Comitem & Martyrem.

Nummos sub hujus Regis imperiō cufos fuisse Londini, ubi monetaria erat officina, colligere licet ex Saxone, qvi in historiā ejus ait, qvartā partem monetæ Regiæ templō Lundensi fuisse dicatam, unde forsitan ex hōc nummorum genere fuerint illorum nonnulli, qvos ex-

hibet Tab. Elegantes autem sunt hujus sancti Canuti ex argentò nummi concavi, qvi faciem ipsius eâdem cum pulchritudine ostendunt, qvam in ipsò adeò deprædicant historici, ut perfectò, ipsos minimè fuisse mentitos, hæc tam nitida egregiè testetur moneta, in qvâ facies ipsius Majestatis plenissima & venustatis cum oculis plenis & vivacibus, explicitâ fronte, decen- ter exporrectò natò & Regiè aduncò, compositis ad gravitatem labiis, restrictis prope aurem ad scapulas capillorum decentibus spiris & flexuris, vertice coronatò humerisq; paludatis. Titulus, qvi Regiam ambit faciem, hic est: CANUT REX. Nemo autem mihi hìc moveat litem, qvasi alterius cujusdam Canuti Regis Monetam pro sancti Canuti venderem, qvia Ælnothus Monachus in vitâ hujus Regis ait ipsum Cnutonem & non Canutum vocatum fuisse ante Canonizationem suam ut loqvuntur Pontificii. Video enim Ælnothum hanc appellationem huic consecrationi debendam voluisse ex illorum temporum more, mûtandi propria nomina in talibus occasionibus sacris, baptismi, inaugurationum, consecrationum, aliarumq; similium actionum. At immutaverat jam antea Patet ipsius suum nomen in monetâ suâ & SVE-
NO

NO Latinorum more potius, quàm SVEIN, ut Avunculus ejus appellari voluit, & sic Canutus hic Monachorum Patronus, etiam jam ipsorum rogatu, tantum sanctæ, ut vocabant, Latinitati favere studebat, ut Canutum se dicendum permiserit, quàm appellationem à Pontifice Romano in Consecratione ejus postea confirmatam credo. Nec aliò opus testimoniò, quàm hac ipsâ monetâ, quæ luculenter videtur ex eadem prodiisse officinâ cum reliquis simul inventis Esthritiorum fratrum, & Patris ipsorum: Svenonis, Haraldi, Olai, Erici, Nicolai, cujus temporibus, cum omnia bellò & tumultibus implicita erant, hoc argentum, quod domi factis tutum non crediderat, hic defodit aliquis. Sunt alii hujus Canuti nummi ex argentò concavi, referentes ab unâ facie Regem galeatum, paludatum, calcaribus indutum, dextrâ vexillum sinistrâ lilium gestantem, & sine dubiò expeditionem Anglicam, quàm meditabatur, denotabit hic apparatus: Frequentia conspiciuntur vexilla in manibus Regum, Principum, Abbatum & Episcoporum hujus temporis in metallo præsertim concavò. Lilium in Romanis nummis spei est Symbolum, quod genius stollatus dextrâ præfert, & ad hunc usque diem Rex Canutus paludatus, ocreatus, vexillum & Lili-

um gestans urbis nostræ Otthinianæ sigillum est, pro quò in minoribus causis solent solum lilium usurpare, ut crater S. Laurentii Lundensibus, Rota S. Catharinæ Ripensibus usurpari solent. Mitra, quæ caput tingit, apprimè convenit; nam ut Canutus demptam capiti imperialem coronam Christo sacravit, ut antea dictum est, & ex eò tempore non coronam sed aliud quoddam tegminis genus gestavit, ut præter Scriptores confirmant nummi, sic hic noster Canutus Regiam suam Roschildensi templo coronam dicavit & ibidem suspendit, & postea, ut ex nummis his videre licet, non coronam sed aliò quòdam diademate caput revinxit, Paludamentum, ocreæ & calcaria eundem arguunt Regem, talis qui apparet in insignibus urbis nostræ, cujus hunc post mortem Patronus erat, nec dissimilis in antiqua quâdam figurâ, quam delineatam inveni in codice Membranaceo manuscripto, ubi talis conspicitur, gladium gestans, ad cujus latus legebatur: GLADIUS KANUTI REGIS DACIE.

Major argenteus & concavus S. Canuti nummus est, ubi Rex in soliò magnifico sedet, cum pileo, vexillo & gladio, de quibus supra, infra quem draco cernitur in Slavicæ expeditionis



P60.

nis memòriam. Unde & alium argenteum num-
mum, Dracone signatum ædificio cuidam ma-
gnifico insistentem, & simul cum prioribus in-
ventum huc referre nòn dubitavi.

Alius est minor, in qvo miles pugnans cum
scutò & gladiò, qvi pedestrem ejus temporis ar-
maturam apud nos docere potest, & forsitan
tempore, qvò in Angliam parabat arma, à Ca-
nuto culus fuit.

OLAU FILIUS SVENONIS

EST HR:

Cognom: Hunger, seu famelicus

Vix peracta fuerat cædes Sti. Canuti Regis,
cum vulgus parricidum rubore & stupo-
re confusum ad sceleris immanitatem ocu-
los cœpit aperire, & ne Regii sanguinis, sed so-
lius acerbitatis, quam Canuto affingebant, odiò
tantum facinus patrasse viderentur, Olaum fra-
trem interempti Regis ex Flandricâ custodiâ, u-
bi propter fraudes fratri paratas detinebatur,
domum vocant, & Regali soliò imponunt, pa-
cti prius, ut credere fas est, sceleris immunita-
tem, quam facile concessit, utpote sic non ma-
gis vulgi furori, quam suæ ambitioni satisfac-
tum iri videret. Imperiales igitur fasces capessit,

H 3

sed

sed tantâ cum infelicitate gessit , ut conspirâsse diceres omnia elementa in ultionem fraternæ cædis , cujus fermè ipse primùm Author , & immemor postea in reliquos vindex erat. Fines imperii liberè circumstrepebant hostes , nunquam sine novâ prædâ abeuntes , pestes & alii non minùs contagiosi morbi de coriò civium impunè , & certatim quasi ludentes lacunosam ubique faciebant plebem , rarò aut nunquam pluebat , fruges arescebant , fames diriter non tuguria sed & palatia vexabat , & de Danicò imperiò actum fuisse diceres , nî nonò à cæde Canuti annò meliora DEus dedisset fata, quæ ipsum Olaum abstulerunt infelicitatis suæ pertæsum , & simul cum eò grassantia huc usq; per Daniam mala avertisset. Obiit ille anno Ch. 1094.

Moneta hujus Regis est argentea illa concava, variæ signaturæ, sed omnes literam O cum inclusa aliqva figura simpliciore crucis, rotulæ, punctorum & linearum repræsentantes. Est mihi & Major ex argentò nummus etiam concavus, habens in mediò crucem cum tribus O & alia minori cruce, in cujus ambitu legitur crassioribus literis MON. OLA. SLS. quod aliter sonare non potest, quam Moneta Olai Sles-

Slesvicensis. Sunt & alii ejus generis metalli & magnitudinis, parum a superioribus diversi, coronam scilicet inclusis insignibus impositam habentes cum hâc inscriptione. MON. VOLA. SLS. quæ eadem est cum superiori; Nam Olaus & Volaus idem sunt, uterq; olim Volf, Olf, Ulf, Oluf, & latine postea Olo, Olfo, Volfo, Olvo, Olaus, Volaus, & in Cimbria hodie Danicè dicitur Volf, Vole. Sveno etenim Esthritius, qui unum filiorum suorum, quos numero quatuordecim habuit, Svenonem a se ipsô vel Avô Maternô nominaverat, alium Canutum ab Avunculô, alium Haraldum a Proavô, alium Gormonem ab Abavô hunc Olaum seu Volaum ab Olvone Patre appellavit, quod nomen ita Monachi quoque mutarunt.

Eadem inscriptio cernitur adhuc in aliâ ejusmodi monetâ argenteâ, concavâ & reliquis magnitudine pari. Sed figurâ, quæ mediam occupat nummi arcem, diversa est, & forsitan facies sanctorum quorundam exhibeant.

Poterit & Olai nummus esse æneus ille qui hinc solam lit. O, illinc alium quendam characterem forsitan monetæ viri aut loci habet.

ERI-

ERICUS SVENONIS FILIUS

Cognom:

Ejegod 3: optimus.

Ut exceſſerat è vivis Olaus ſuò & omnium ſubditorum ex votò , ſufficitur imperio mox communi conſenſu Ericus frater ejus proximus ætate & ſucceſſionis Jure , S. Canuti fidus olim comes & periculorum ſocius , qvi ſimul ac gubernaculo imperii ad movit manus omnia illicò ceſſarunt mala qvæ per Olai tempora Daniam tam miſerè vexaverant; & rediit cum novò & miti Principe diu proſtigata felicitas temporum. Proceritate , robore , & pulchritudine corporis ad miraculum uſq; commendabilis erat , bonitate indolis nèmini ſecundus , unde Boni cognomē ſibi peperit. Piratas per priorū temporū licentiam audaces factos compeſcuit, & gravi ſuppliciò affecit, Religionis ſuæ ſedulus erat obſervator , & templa qvam plurima in multis imperii ſui provinciis erexit , auxit & Jovit , ſuperſtitioni tamen temporum ſuorum haud parum deditus, cujus impulſu non ſemel Romam adiit ea ſumptuoſè & religioſè a Papâ emendicaturus , qvæ domi propria, efficere potuerat

tuerat autoritate. Magnis insuper sumptibus consecrationem Canuti fratris a Pontifice impetravit. Sanctam etiam ut credunt Pontificii suscepit peregrinationem ad Christi sepulchrum, quo in itinere a Constantinopolitanò Imperatore magnificè exceptus & habitus, navibus quæ instructus & donatus ulterius tendebat, Sed in Cyprò intulâ febris correptus decessit Annò Christi 1105, ibiq; miraculis postea inclaruisse dicitur ab Ericò Pomeranò in Hist: Gent. Dan: Addit Anonym: Scriptor rerum Danicar: ab Erpoldò Lindenbruch editus terram Cypri ante sepulchrum Erici defunctorum cadavera non continuasse, sed postea quidem.

Hujus sine dubiò sunt elegantes illi concavi ex argentò nummi, quos in Cimbriâ superiori annò inventos fuisse supra narravimus. Solam faciem Regiam habent Majestatis & gravitatis plenam, ejusq; amplitudinis & firmitatis, ut respondere egregiè possit illi corporis eximiae proceritati, & roboris excellentiæ, quam scriptores in ipso observârunt.

Nonnulli horum nummorum Arusiam, alii Horsam hodie Horsnesum, quidam Heringam hodie Hiöring veterem civitatem & Vansalici Parlamenti sedem, quidam Alaburgam Vansalica

cæ Diœceseos primariam urbem & Episcopalem hodie sedem inscriptam habent , & totidem in hisce civitatibus monetarias fuisse officinas testantur. Unde qvilibet potest monetæ horum temporum in Daniâ copiam & splendorem evidenter perspiciere. Nec dubito , qvin venturus dies plura nos doceat.


Cum tamen aliquod discrimen appareat hujus faciei in hisce nummis , ideo non Juro omnes esse Erici , sed aliquot forsitan alicujus fratrum ipsius , & sine dubiô Nicolai , vel varietas officinæ illam faciei varietatem facere potuerat , qvod in omnibus aliarum gentium nummis videmus.

Pro Erici Regis hujus monetâ agnosco æneum illum cum unicâ literâ E ab unô latere & frontispiciô templi ab alterô , indice certô pietatis ejus , cujus plurima exstant documenta , qvæ apud nonnullos fecerunt , ut inter Daniæ sanctos eum reponendum ducant.


NICOLAUS SVENONIS FILIUS

Cognom : Grandævus.

Biennium a morte Erici boni effluxit , antequam id receiverint Dani , qvi mox annô 1107 Regem elegerunt Nicolaum filium itidem Svenonis Esthritii , & fratrem qvatuor præ-



P66.



præcedentium proximè Regum, neglectò ad voluntatem ejus Haraldò, Erici boni filiò, qui per absentiam Patris Regno præfuerat. Mitis & mansueti ingenii erat Nicolaus, sed delictis plus justo conniventis. Avarus & tenax erat, nulliusq; splendoris aut magnificentiæ affectator. Pietatis cultui haud segniter deditus videbatur, nì amore filii sui Magni, quem ex Margarethâ Sveciæ Regis filiâ genuerat seducendum se permiserat, non sanè incitante Regina, ut Helmoldus falsò tradit lib. l. c. 51. Sed potius dissuadente ut Saxo meminit. Fuerant enim Erico bono fratri ipsius tres filii Haraldus per absentiam ipsius Prorex Daniæ, nunc ad privatam sortem dejectus, S. Canutus Dux Slesvici, & Rex Obotritorum ex donatione Imperatoris & Henrici Obotritorum Principis, & Ericus Emund dictus qui postea Regnum occupavit. A solò autem Canutò jam Rege factò sibi timebant Nicolaus & filius ejus Magnus, fortunæ & virtuti ipsius invidentes, ideòq; sub specie amicitiae in Selandiam evocatum nefariè trucidârunt, haud impunè tamen; Etenim tota plebs scelus detestata mox Regem fermè cum filiò iustulissent, nì majori supplicio eos reservassent fata; Nam Ericus Emund Frater Canuti & filius Erici boni, collectò

exercitu, utrumq; ingenti strage vicit in Scaniâ annô 1135. Periit in eô præliô Magnus cum plurimis Episcopis & Proceribus Regni, Nicolaus autem fugâ Slesvicum petens a civibus interceptus est, cum regnâset annos viginti novem, quos quomodo ad septem Lustra extendere poterit Sveno Aggonis in compendiô Regum Danicorum, non video.

Moneta hujus Regis non alia fuit, aut diversa a fratrum ipsius nummis, quos præcedentes figuræ conspiciendos præbent. Interim nescio ad quem alium, nisi ad hunc Nicolaum referam binos ex ære nummos, quorum alter hinc lit: N. Regis forsitan nomen, illinc lit: S, quæ vel Slesvicensem urbem, ubi habitatio ipsi & domicilium plerumque erat, vel Svenonem Episcopum Wiburghensem, aut alium quendam denotabit, alter hinc lit: N, inter stellam & Lunulam, Regii nominis indicem, illinc lit: I habet inter Lunulam & circellum forsitan Illocum Arhusiensem Episcopum denotaturam, qui in præliô supra memoratô contra Ericum Emund periit cum Magnô Regis filiô & aliis Episcopis & Proceribus multis. Et sic de horum quisque Regum & Fratrum nummis diximus, haud mediocriter in opinione nostrâ confirmati, quod nummos inven-



venimus singulas literas habentes, singulis ipsorum nominibus convenientes, quasi unus ab altero hunc sumpsisset morem. Nullus a dubito, quin per adeo prolixum Nicolai imperium splendida & copiosa exstiterit moneta. Sed quod hactenus invenire non licuerit, speramus cum tempore nos fore consecuturos.

Hic verò gaudeo, me aliquā in re historiam nostram antiquam juvare posse. Ælnothus Monachus cap. 9. de vitâ S. Canuti meminit Arnoldum & Geroldum antea Canuti Regis Cappellanos in curiâ (quos cancellarios nunc dici putant eruditi), tunc temporis, scilicet sub imperio Nicolai Pontifices seu Episcopos fuisse id quod nemo negare potest contra Ælnothum tunc viventem, & Episcopos sui temporis bene noscentem. At vide recensum illum Episcoporum Daniæ, quem Hvitsfeldius communicat, & nullum Geroldum ibi sub Nicolaō videas, quem tamen alibi notum facimus. At Arnoldum quidam aliquem hoc tempore inter Roskildenses Præsules ponit, sed dubitanter ex relatione aliorum: Verum mihi nummus est elegans & rarus Argenteus concavus, thaleri uncialis, magnitudine, in quo Episcopus cum infulâ & omni ornatu sacro exhibetur in solio eleganti sedens
dextrâ

dextrâ lituum, sinistrâ librum magnum, Evangelium sc: aut Plenarium tollens. Inscriptio est. ARNOLDUS ARHENSIS ꝛ: ARUSIENSIS, ut sic restituatur hicce Præsul suo inter Arhusienses Episcopos loco. Prætereâ inventus fuit hic nummus cum reliquis Esthritiorum Regum supra memoratis.

ERICUS FILIUS ERICI BONI

Cognom.

Emund ꝛ: celebris, famosus, vel ut interpretantur alii, loqvax, dicax &c.

Filius erat Erici boni sed ex thorò illegitimò, qui cum fratribus quidem dissenserat olim sed non nisi de bonis privatis. Ubi verò de vita & sanguine Germani fratris Canuti tam impiè & impunè ludi videbat, non minùs pietati, in cæde fratris ulciscenda, quàm commodæ occasione imperium ad se trahendi, inserviendum ratus est. Collectis ideòq; viribus Provincias quasdam Regni faciliè sibi obnoxias reddidit, ut pote S. Canuti Obotritici cæde jam jam abalienatas a partibus Nicolai Regis. Sic ultra quadriennium varia pugnavit fortuna, usquedum in Scaniâ felici præliò & Magnò par-
rici-

ricidæ & bello finem fecit, adjutus insuper tragicô Nicolai Regis casû apud Slesvicenses imperium solus obtinuit annô Christi 1135. Securitatis deinde suæ curiosior quàm pietatis Haraldum fratrem unâ cum filiis illaudata sustulit acerbitate. Rugienses piratas ad obsequium coëgit expeditione inexpectatâ, in qua primus Regum Danorum equestrem militiam navibus in exteras transportavit Regiones. Legibus salutaribus subditorum commoda tutatus est, & injurias potentiorum repressit, unde haud exiguam sibi Procerum multorum contraxit inimicitias. Post sextum autem imperii annum cum in publico conventu Ripensi jus diceret subditis, a Nobile quodam viro Ploug Nigro dicto inventeratum in Regem odium exsaturaturo interceptus est anno Christi 1140.

Ericum hunc Regem, ut & proximos successores paucos, usq; ad restitutionem Monarchiæ Danicæ sub Waldemaro primo, credo ob turbulentam temporum conditionem minùs de moneta sua quæ forsitan non nisi ænea fuit, fuisse curiosos; illius autem fabricam, ut rem nullius Lucri civitatibus singulis, Episcopis & Abbatibus reliquisse, quorum signa, notæ, aut characteres peculiare in illis nummulis videntur,

tur, sine ulla litera nominis alicujus indice. Tales quam plurimos exhibemus Tabula priori sub juncta, quos Danicos esse nec mihi nec aliis harū rerum gnaris unquam dubiū fuit, cum nullibi nisi hic in Dania inveniuntur, & satis magnā subinde copiā, & aliis illorum temporum nummis Danicis ex inscriptione cognoscendis perquam sunt similes. Præterea ubi inventi fuerunt alios peregrinos non admixtos habuere nummos, unde extraneam hanc fuisse monetam quis colligeret. Nec volo multam illam incognitæ hujus monetæ nostræ varietatem sub paucis contigisse Regibus, cum forsitan multi inter hos cusi sunt etiam post Waldemari primi tempora a civitatibus & Monasteriis hoc privilegiō donatis, eo etiam tempore quo Reges nominibus suis monetam suam dignoscendam fecerunt, quod nemo non præstitit post Waldemari primi tempora. Interea inter hos quos Tabula prædicta exhibet, eos etiam inveniri, qui tempore hujus Regis Erici Emundi sunt cusi, fidenter credo. De illis autem nummulis sola nota signatis sine literis ullis aut alicujus Magistratus facie, quia ad calcem hujus recensūs nummarii aliquid singulatim dicere placuit, hinc ulterius illis discutendis non immoremur.

ERICUS SEXTUS cognom: **Lam S.**

Agnus.

Nepos Erici boni ex filia.

Postquam ita ceciderat Ericus Emund, tres diversâ stirpe oriundi se offerebant imperii hæredes, sed impuberes & imperialibus curis immaturi, scilicet Canutus filius Magni, Nepos Nicolai Regis, Sveno filius Erici Emund, & Waldemarum filius S. Canuti Obotritici. Ex hisce Waldemarum ob paternas virtutes imperio destinabant Dani a Proceribus quibusdam beati Canuti amicis persuasi. Sed ut præ ætatem, falces Regios nondum moderari poterat, utpote nondum decennis, circumspiciebant sibi subditi de idoneo quodam viro, qui vices ejus sustineret, usque dum ipsi liceret manus adultas imperio admoveere. Aptum tunc magis invenire non dabatur virum, quam Ericum Erici Boni ex filiâ Annâ Nepotem Haqvini Cimbrici Herois filium. Hic plus audax & manu fortis, quam consilio prudens aderat in Cimbrico conventu, cum opprimeretur Ericus Emund, & strenue pro Rege dimicans cædem ejus, quam prohibere non potuerat, viriliter in percussores ulciscabatur. Imperio igitur ad tempus administran-

do adscitus diuturnum cum Olao Haraldi filio, Erici boni Nepote gessit bellum, eumq; demum post multos conflictus penitus præstravit, & finibus Regni exturbavit. Contra externos Regni hostes infelicius pugnans, domi partam gloriâ foris fermè amisit, unde tristitiâ simul & lentâ maceratus febre, fortunæque fastiditus varietatem, imperium septimò, ex quò idem suscepserat, annò deposuit, & Monasterio Prædicatorum fratrum hic Otthinæ in Fioniâ, ubi natus erat, se inclusit annò Christi 1147, extremam, quæ & mox quasi vocata adfuit, ibi expectaturus horam.

Quos Septenne hujus Regis imperium patriæ nostræ dedit nummos, quæras in tabulis ante dictis ubi omninò inter reliquos delitescunt, quanquam literis destituti, & instar mutorum, signis solum non cuivis intelligendis originem suam declarant,





SVENO cognom: GRATHE

Fil: Erici Emund

Canutus Magni filius

Nepos Nicolai Regis

Waldemarum primus cognom. Magnus filius S. Canuti Obotriti.

Sveno Grathe.

Vix vitam cum imperiò finiverat Ericus Lam S. Agnus, cum novis Dania concuteretur motibus, confurgentibus simul & de dominatione certantibus tribus Regiæ juventutis Principibus consobrinis Svenone Erici boni Nepote e filiò Ericò Emund, Waldemarò Ejusdem Erici Boni Nepote e filiò Canutò, & Canutò Nicolai Regis & Erici Boni fratris Nepote e filiò Magnò. Destinaverant quidem Dani imperium Waldemaro sed hic reliquis duobus inferior ætate non ausus ab initiò tantis se immiscere turbis, solus tamen demum pacatum & unitum obtinuit Regnum.

Prior ergò Sveno coepit cum Canutò de summa rerum certare, & quamdiu Waldemarum, cui tunc exosus erat Canutus ob cædem Patris

fui ab ipſius patre peractam, ſibi devinctum habuit, tamdiu & vulgi favorem, & fortunam tenuit ſecundam, Canutum aliquoties apertò aggreſſus eſt Marte, ſemper ſuperior, adeò ut ipſes fermè interciderit Canuto omnis de imperiò, aut parte ſaltem imperiì obtinendâ. Intereà autem dum ſic inteſtinis Dani obteruntur bellis, wandali tempus hoc ſuis deprædationibus opportunum putantes varias Regni Provincias ferro & flammis vaſtârunt, cujus deſolationis partem haud exiguam ſenſit Fionia noſtra, ejuſq; caput Otthinia, quam fermè in favillas redigebant immanes hi incendiarii. Demum Svenonis perfidiâ & indolè perversâ expertus Waldemarus tranſiit ad Canutum, qui paterno ſe excuſaverat delicto, & non modò ſororem ſuam Waldemaro Uxorem in pignus amicitiae, ſed & vitam & ſanguinem pollicebatur ad debitam ſibi & illi imperiì partem Svenoni extorqvendam. Hinc verſâ Svenoni fortunæ aleâ: Amici defeſerunt, Canutus numeroſo inſtans exercitu, eò uſq; rem reſtituit ſuam, ut Patriâ excedere cogeretur Sveno. Poſt trium autem annorum exilium redux, vulpinam induens, omnis ſe diſſidii pertæſum ſimulavit, & initâ cum Canutò & Waldemariò pactione, Regnum in tres æquales diſtri-



PZZ


distribuit portiones, quarum singuli suam sine lite possideret. Scelus tamen dudum mente conceptum perficere cogitans, nil nisi idoneam expectavit reliquos opprimendi occasionem. Eam demum Roschildiæ invenit, ubi illos ad convivium invitaverat, seu ad cœnam Thyestes potius; Nam cædem utriq; inevitabilem, ut sperat, paraverat, quæ tamen non nisi in Canutû perfici potuit, aperiens sibi Waldemarô per manus amicorum fugæ viam & per medios infidiatorum cuneos occasionem in Cimbriam transfretandi naçtô. Hujus incolumitatem admodum dolens Sveno copias undeqvaq; contraxit, Valdemarum ut hostem apertum persecutus, quem paratum invenit tamen prope wiburgum Cimbrorum, & ibi statariam contra ipsum ingressus pugnam cecidit Annô Christi 1151.

Mirum est, hunc Svenonem ab exteris Scriptoribus Johanne Trithemio, Ottone Frisingensi & aliis vocari Petrum, quod haud parum torquere solet antiquitatum nostrarum interpretes. Qui causam expiscari hujus volunt, solent prætereundere morem illorum temporum, quô solebant viri nomina mutare sua, sive ubi ex Ethnicis & idololâtris, quales fuerunt antea, Christiani

ani efficiebantur , sive jam jam Christiani societati se cuidam sacræ ut membrum seu confratrem , si ita loqui liceat , se addicerent. Sic in Baptismô SVEN - OTTHO vocabatur Svenofilius Haraldi blaalandi , Jacobus Rex Sveciæ , antea dictus Omundus. Nec aliter intelligimus , quis fuerit ille Nuba Rex Daniæ , qui tempore Henrici Aucupis ad baptismum coactus fuit , ut Witichindus refert Corbejens. annal. lib. I. Juxta finem , quàm ut Haraldus Blaaland sit , cujus conversionem incepit Henricus Auceps sed perfecit Ottho Magnus filius ejus sic forsitan in baptismô dictus , & Scholiastes antiquus Adami Bremensis observat Canutum Magnum Svenonis filium , abjecto gentilitatis nomine , Lambertum fuisse vocatum. Unde , pergit Scholiastes ille scriptum est in librô fraternitatis nostræ : Lambrecht Rex Danorum & Imma Regina , & Knut filius eorum devotè se commendaverunt orationibus fratrum Bremensium.

Non ideo fidei absonum est , si dicamus , Svenonem , cum exularet in Saxoniâ & omnium ordinum auxilia emendicaret , se collegio cuida , ut erat simulator peritus , associasse , & in eâ fraternitate hoc nomen gestasse ; Nam sine causâ quâdam sic ipsû neutiquam vocassent Scriptores illi.

Fuit



Fuit mihi æneus nummus non ita prodē, hīc Otthinix cum aliis antiquioribus Danicis repertus, sed casu quōdam mihi ablatus, quem tamen, quod gaudeo, non mihi solum, sed aliis multis inspectum prius delineari curaveram, quā amiseram. Una facies nummi habet nomen PETRUS circa stellam sex radios habentem dispositum, ut figura monstrat, & alii aliorum Danicorum Regum nomina in nummis suis, altera vocem REX habet circa triangularem figuram eō modō collocatam, quō postea alios videas Reges Danos sua nummis inscripsisse nomina. Mihi sanē, qui multos gentis nostræ nummos antiquos manibus tractavi meis, nulla dubitatio est, quin Danicus sit hicce nummus, utpote Danicorum nummorum simillimus, quos in sequentium Regum historiis dabimus; Portugallicis nummis nullā ex parte similis est, unde suspicio foret Petrum Portugalliæ Regem, qui obiit anno Christi 1377, hanc monetam signasse, sed ut dixi, insequentibus invenias tales, qui probè testentur, hunc, de quō loquor, ex ejus gentis officinā prodiisse. Credā ideōq; haud difficulter, Svenonem in exteris degentem, & ad votum & voluntatem Monachorum hoc sanctum sibi nomen adstruentem, idē nummis quibusdam suis impressisse ad sinceritatem fraternitatis Monachis suis declarandam.

CANU-

CANUTUS MAGNI FILIUS.

HUjus Pater erat , qvi Canutum Sanctum Regē Obotriticum perfidē necavit, ideò-
qve hic ejus filius multum sibi ab initiò timuit
a Waldemarò, qvi tamen Canuti interuentiam
expertus ipsi se adjunxit demum , protervum
Svenonis ingenium detestatus. Canutus igitur,
qvi diu infeliciter rem suam gesserat adversus
Svenonem, fermè eò redactus , ut omnem ul-
teriùs cogitandi spem abjiceret, cum societate
Waldemari se confirmatum videret , animum
& vires resumpsit , Svenonemq; adeò potenter
repressit & urisit , ut e Patriâ profugus exterorū
auxilia sollicitaret, usq; dum rediens demum,
nolens, volens, Canuto & Waldemaro singulas
regni cedere cogeretur partes, ut tertiam ipte
securus possideret. Hanc tamen potestatis suæ
diminutionē assiduè ruminans nullum non sce-
lus moliebatur, ut totū sibi restitueret regnum,
etiā cum dispendiò vitæ cæterorum. Commodū
ad hoc scelus putabat sibi oblatum tempus in
conviviò Roschildensi, ubi utriq; intentatā cæ-
dem non nisi in Canutum perfecit, qvi sub ar-
mis percussorum miserè occubuit ibidem annò
Domini 1156. in Vigiliis S. Laurentii.

WAL-

WALDEMARUS PRIMUS

Cognom:

Magnus fil. S. Canuti


Obotritici.

Princeps erat corporis venustate, indolis probitate, animi constantia, mascula fortitudine, morum dulcedine, sermonis & facetiarum gratia commendabilis, felici denique consiliorum & operum successu memorabilis, ad quam felicitatem multum juvabat Nobilissimi & omnium temporum illustrissimi Præsulis Absolonis consummata prudentia, quam in omnibus negotiis gravioribus pace & bello, terrarum marique experiebatur semper. Ut vidit Augustus hicce Princeps, Svenonem post Canuti eadem avidius, quam antea, suum sitire sanguinem, statuit apertò Marte vitam defendere suam, & occurrentem furenter Svenonem cruento oppressit præliò annò Domini 1157. Per tot rerum discrimina cum lacerum & discerptum antea imperium sub unos collegisset fasces, nihil postea nihil tantò initiò dignum cogitavit. Patrem suum impiis quondam Magni sublatum manibus fastis Sanctorum solenni pompâ incidendum curavit, & ossa ejus sumptuose condita publicæ

venerationi apud Ringstadienses exposuit, solus inter Danos Reges, cui & Proavum & Patrem inter Martyres numerare contigit: Regiones suas legibus in hunc usq; diem laudatis firmavit. Norvegiam internis motibus quassatam non tã compescuit, quam pacavit. Rugianos insidiosissimos semper in Daniam latrones, & superstitionum Ethnicarum tenacissimos ad suæ dominationis jugum & Christianæ Religionis confortium gloriosissimè compulit, reliquosq; in Slavia & Wandalia nidulantes Piratas ità fugavit, protrivit & extenuavit, ut nullus inde Daniæ in posterum foret metus, auctis insuper & firmatis ubiq; limitaneis Regni propugnaculis. Oppida, Tempia, Monasteria multa instituit, renovavit, ampliavit & ornavit, & postquam imperium felix & gloriosum solus jam a cæde Sve- nonis annos viginti septem gessisset, placidè exspiravit Anno 1182.

Cœpit etiam Monetæ Danicæ decus priorum temporum turbis extinctum fermè & sepultum, nunc vitam resumere & spiritum, talibusq; auspice Waldemarò, roborari viribus, ut nulli deinceps temporum succubuerit immanitati, sed continuâ serie Regum postea nostrorum nomina in hunc usq; diem conservaverit.

Exstat




Exstat adhuc nummus ex ære & argentò Walde-
mari primi, cujus una facies Regē paludamentò
Diademate, & sceptrò conspicuum, apposita al-
terilateri litera W regii nominis prima altera facies
Episcopum cum infulâ, clave, pedò Episcopali &
veste stellulis ornata. Alius etiam ex utròq; metal-
lò habetur ejusdem Regis nummus, qui hinc Regem
cum eòdem apparatu Regiò, quamvis diverso pa-
rum à superiori & eadem literâ W. adjunctâ, o-
stendit, illinc Episcopum cum stellulâ, paulò aliter
indutum ac in superiori, & sine clave. Etiam si
autem firmiter edicere non audeo, tamen con-
jicere licet hunc in hisce nummis conspicuum
Episcopum Absolonem fuisse famigeratissimum
illum Præsulem Roschildensem & Archiepisco-
pum postea Lundensem sacrorum, literarum,
& armorum Antistitem felicissimum. Accedit,
quod post Svenonis cædem, monetariam Regis
Waldemari officinam Roschildiæ fuisse novi-
mus, eodem tempore, quò Absolon ejus sedis
Episcopus eligebatur; Refert enim Saxo Cives
per interna dissidia tumultuantes curatorem Re-
giæ monetæ malè tractasse, & destructis ædibus
regiam pecuniam diripuisse, cujus insolentiæ
graves dedissent poenas, nî intercessionem Absolo-
nis & aliorum benignas Rex præbisset aures.

CANUTUS SEXTVS filius

Waldemari primi.

Canutus Sextus Augustissimò sanguine prognatus annò 1163, Primus inter Danos Principes fuit, cui in infantia, vivò Parente ipsius, jus in imperiò succedendi Patri contulerunt Regni Proceres; A Patre enim in confortium imperii assumptus solenniter coronatus est Annò 1170 per manus Absolonis Episcopi, deinde post obitum Patris totum imperii onus subiit & feliciter gessit. Scanos primo seditiones domuit, & Slavos & Wandalos nova molientes sub jugò retinuit, Imperatores Fridericum Barbarossam & Henricum Sextum, quibus omne denegaverat obsequium, non à finibus modò Danicis arcuit, sed & armis terruit suis. Convocata hìc Otthinia omnium ordinum concione, expeditionem contra Saracenos ad terram sanctam recuperandam Proceribus Regni indixit & iussit, sed cum mediocri successu, ut illius profectionis historia iisdem temporibus scripta perhibet. Decessit sine prole mascula Annò Domini 1202 die undecimò Novembris, ætatis quadragesimò, Electionis tricesimò octavo, coronationis tricesimò tertio, imperii post obi-



obitum Patris feliciter gesti viceſimò primò. Titulus, quem præferebat erat : Rex Danorum, Slayorum & Wandalorum, non modò ob imperium S. Canuti Obotritorum Regis avi fui, ſed & quia ipſe has gentes ſubegerat.

Ex nummis ſub imperiò hujus tam laudati Imperatoris longò cuſiſhos huic ſpecimini interere placuit. Unum argenteum, hinc gladium inter binas literas R. & X. qui monſtrat, illinc templum cum tribus turribus, quarum media impoſitam habet ſtellam : Literas quod attinet, eas interpretari mihi non ſolum facile, ſed & legentibus veriſimile videatur. Inſtituit, ut jam dixi, expeditionem ad terram ſanctam recuperandam Rex Canutus : illam expeditionem typis mandari curavit Kirchmannus ex Membranaceò codice manuſcriptò ejusdem temporis, & in prologò ejusdem invenit literas F. X. quas interpretatur per Fratrem Chriſtianum : & Car. du Frene in glosſariò ex Browerò l. 2. Antiqv. Fuld. cap: 100 litera A. X. per ancillam Chriſtianam exponit. Sic nos exponimus omnino literas per Regem Chriſtianum, qualem ſe appellari voluit in ſacrâ illâ expeditione, cui medium paraverat gladium, ad recuperandum Chriſti ſepulchrum, quod tres illæ turres in averſâ numi facie cum impoſitâ itellâ notare volunt. Quia

Quia verò eòdem tempore, qvò Canutus hic Daniam inclytissimus in Norvegiâ imperabat Rex Sverre, ejus nummum ab amicò qvòdam communicatum coram conspiciendum dare volui.

WALDEMARUS SECUNDUS

cognom:

Victoriosus. Nat: 1170.

Excefferat jam sine filiis Canutus, cùm Frater ipsius Waldemar Dux Cimbriæ Australis communi omnium ordinum consensu Rex proclamabatur, & solenni coronatione inaugurabatur Londini Scanorum ab Archiepiscopò Andrea Annò Christi 1203. Utriusq; fortunæ exemplum luculentum hic Princeps erat, utpote diuturnum ipsius imperium, qvò octo lustra implevit, ità inter se diversa fata diviserunt, ut dimidiam partem felicitas & boni successus, alteram infortunia & damna habuisse dices. Domuit dum obseqventem habuit fortunam, Nord Albingiam Wagriam, Livoniam, Estoniam & complures alias Provincias, Christianam Religionem Livonis imperavit, contra qvos cum bellaret, vexillum illud coelitus delapsum in medi-

diam aciem dicunt rubrâ cruce insignitum, quod sub titulô Danebroge, instar Palladii cujusdam diu Danis in veneratione fuit non sine certâ victoriæ spe, ubi illud contra hostes explicare liceret, donec longô pòst tempore sub imperiô Johânis Regis in præliô contra Dithmarcos eâdem periit incertitudine, quâ venerat, relinqvens nihilominus nunquam inter morituram sui memoriam, præsertim, ubi jam dudum placuerit Augustissimo Monarchæ nostro Equestrem instituere ordinem hac cruce Danebrogicâ condecorandum. Norvegiam internis dissidiis inquietatam pacavit, inductis & confirmatis ibidem Erlingô Rege & Philippô Comite, cujus nummum perquam rarum mox dabimus. Formosam illam legem Cimbricam condidit, cui tota postea paruit Dania, usque dum Sacratissimo Patriæ nostræ Patri CHRISTIANO QVINTO, feliciter ita pridem imperanti, non mutare, sed augere, & Regnorum tuorum utilitatibus propius accommodare placuit omnes antea acti temporis Leges, quarum nunc illustre omnibusque necessitatibus deserviens & sufficiens volumen habemus. Exactis autem viginti felicioris imperii annis, subdolè ipsum, & nil minus cogitantem, in Insulâ quâdam parvâ Fionensis diœcescos Ly-œ
vo-

vocatâ, ubi venationi intentus commorabatur, unâ cum filiô Valdemarô imperii consorte, & Rege futurô, paucisq; ministris electô captivum abduxit Henricus Comes Sverinensis. Post triennii captivitatem redemptus multô pretiô Valdemarus non nisi initium hoc esse plurium insecutarum sensit calamitatum. Multis enim annis & laboribus acquisitas Regiones quasi per somniû amisit, hostes arcere cupiens cum dispendiô & exercitus sui & alterius oculi discedere cogebatur, insuper filium primogenitum imperio destinatum, & jam jam ex voluntate suâ admotum infelici perdidit casu, in venatione scilicet erroneâ transverberatum sagittâ. Hinc fortunæ varietatem pertæsus, secundum sibi filium Ericum in societatem imperii assumpsit, & decennium cum ipso emensus, animam Deo reddidit Anno Dni. 1242, ætatis suæ septuagesimô tertiô, imperii quadragesimô. In diplomatis suis vocat se Regem Danorum & Slayorû. Inter numos, quos haud paucos tam longô imperii spatio cudisse credatur Waldemarus, enitescit ille ex meliori metallô, in cujus unô latere antiquis literis expressum legitur: Waldemar Rex cum inclusis in mediô tribus literis: AND. in alterô latere ambiens inscriptio NICHOLA. EP legendû

præ

præbet, cum inclusâ literâ R, quæ Roschildensem civitatem denotat, ubi monetaria erat officina, cum suô Episcopô Nicolaô Stigoti illius temporis celeberrimô Virô. Tres autem illæ literæ AND. quas Regium nomen in primô latere inclusas ambit, vel denotent Andream illum Slaglosiensem sacerdotem, insigni suâ sanctitate multisq; miraculis tunc conspicuum, qui varias susceperat religiosas peregrinationes ad loca sacra Palestinæ, ubi in Templô Joppes, cum sacris suis intentus meditationibus à festinantibus sociis esset relictus, somnô inter preces occupatus fuisse dicitur, è quô cum evigilaret, se in Patriaprehendit, & quidem prope Monasterium Andwerschowense suo nomini postea dicatum in colle quôdam, quem *Hvile-Hey*/ seu quietis collem inde vocârunt. Quantâ autem hic Andreas fuerit apud Regem Waldemarum auctoritate, inde liquet, quod Slaglosiani Cives huius operâ insignia quædam paucua à Rege obtinuerint.

Vel forsitan decantatus ille Lundensis Archiepiscopus Andreas Sunonis Filius hic intelligatur, qui miraculis non minùs notus erat, quàm alter ille. Hic Regem coronaverat, tandemq; Ecclesiasticæ dignitati solitariam prætulit vitam,

M

ut

ut precibus vacaret melius ; variisq; miraculis sanctitatis suæ fidem apud vulgus roboravit. Waldemarum enim , cum Borussos , Liffandos , Lituanos aliasq; tunc idololatrias gentes armis ad Christianam compelleret Religionem, hic Andreas sacræ hujus expeditionis Comes, ubi ad manus cum hostibus perventum erat, precibus effecit suis, ut, quamdiu sublatae erant in cœlum manus ipsius, victoria penes Christianos esset, ubi verò demittebantur ad Barbaros inclinaret eadem, quare adstantes Clerici ipsum orantem, seu alterum Moysen suffulciebant, usque dum demissò cœlitus vexillò illò Danebrogicò, de quò supra quædam, tota Christianis cesserit victoria. Alia prætereâ multa edidisse creditur miracula, quæ libro quodam collecta reliquit antiquitas, inter quæ haud postremum erat, quod in vigiliis Natal: Domini cum deesset vinum servis propinandum, aquam è proximò extractam puteo in vinum mutaverit.

Quis igitur dubitet literas AND in Waldemari nummis occurrentes Andream aliquem ex hisce duobus tantæ famæ & sanctitatis viris designare. Præsertim cum noverint melius ejus temporis Principes nihil, quo nummos ornarent suos, quam sanctorum imagines & titulos.

Quia



Quia autem Waldemarus hicce magnam semper venerationem Danebrogico habuit vexillo, quam etiam in superstitionem mutârunt posterî ejus, ideò credo nummulum argenteum illum ejus Regis esse, in cujus unô latere sedens in soliô conspicitur Rex gladium & vexillum vibrans, in alterâ parte crux est cum appositis sibi binis literis V. Sed Slavonicam quandam officinam hunc nummum protulisse videtur.

Monuimus etiam superius in historiâ hujus Waldemari, ipsius auspiciis & Jussu Philippum Ingonis Norvagici Regis ex sorore Nepotem Ducem Norvegiæ constitutum fuisse ex consiliô Nicolai Asloensis Episcopi. Noluimus ideò quod nummum hujus Philippi, ut putamus rarissimū, lectoris oculo denegare. Argenteus est, sed vlioris notæ, habens ex unâ parte laureatum Ducis Philippi caput, quod tanè in septentrionalibus nostris nummis mirum & rarum est, ac prætereâ haud mediocri expressum, ut etiam ad Romanos aliquo accedere possit modo. Inscriptio, quæ hoc caput ambit, ita sonat : PHILIP DUX NORVEGIE, quæ literæ simillimæ sunt ipsis quas Waldemari moneta habet. Aversum nummi latus crucem cum quatuor rosis ostendit, & inscriptione tali : MONETA ASLO-

ENSIS. Ejus enim loci Episcopus & conlangvineus Philippi plurimum ad ejus fortunam fecerat ; ut sic non mirum ipsum etiam ad famam & gloriam ejus augendam hanc tam nitidam , pro temporum illorum ratione , monetam conficiendam curasse.

ERICUS WALDEMARI secundi


Filius cognom:

Plougpenge, aliàs Ericus Sanctus.

Habuit Waldemarum secundum filios Reges quatuor , Waldemarum tertium , Ericum , Abelem & Christophorum , Waldemarum à Patre adscitus in societatem imperii , ipso adhuc vivente interiit , ideoq; nummos suo nomine signatos reliquit nullos. Post obitum ejus secundum suum filium Ericum sibi coadjutorem & successorem sumpsit Waldemarum . Unanimi ille omnium ordinum consensu Rex proclamatus est & coronatus Londini scanorum per manu. Archi-Episcopi Uffonis Anno Dni - 1232 ipse Pentecostes festo , & decem annos cum Patre imperium administravit , sumptâ sibi Conjuges Julithâ Alberti Brunsvicensis & Luneburgensis Ducis filiâ . Defuncto jam Patre Waldemaro.

marò, solus imperium capesit, & sanctitatis, justitiæ, probitatisq; vivum exemplum se subditis præbuit, novas & opportunas leges Patriæ scripsit, Liffandos, Esthonienses & alios à Patre subjugatos populos sub jugò retinuit, & eo usq; bellicis virtutibus inclaruit, ut ab Electoribus & Principibus imperii Romani, consentienbus omnium suffragiis, Imperatorii fasces ipsi sint oblatis, anteqvam Henrico Thuringo, qvi in Fridericum Secundum insurrexit, sint collati. Templà & Monasteria multa erexit & alia auxit & locupletavit, sacrorumq; Ministros Regio Patrocinio fovit. Rigidor subinde visus est tum ad census irrogandos, qvo necessarias promoveret expeditiones, qvos qvia ad jugeri seu aratri mensuram exigere solebat, qvòd & hodie est in usu, cognomen illud Ploupenge ab invidis obtinuit, tum in fratres, qvorum avaritiam & ambitionem securitati & paci publicæ adversam cum reprimere vellet, aliquoties apertò Marte cum ipsis congregari cogebatur, inprimis cum Abele Duce Slesvicensi, qvem etiam si variis prostratum præliis ad arma deponenda compulit, nunqvam tamen ad meditata in se scelera abjicienda redigere potuit; Nam cum in expeditione adversus Holfatos ad fratrem Abelem ex-
tinere

tinere diverteret, nil sibi ab eò periculi metuens catenis præter expectationem constrictus cymbæ impositus est, & in Sliam fluvium delatus, ubi à præsentibus quibusdam & ad id concomitantibus carnificibus capite est truncatus annò Domini 1250 in vigiliis S. Laurentii ætatis suæ 34 imperii nonò. Corpus ejus undis immersum à Piscatoribus demum inventum Templo S. Petri ibidem illatum est, & postea jussu Christophori Regis Ringstadium transportatum. Brachium ejus à Monachis plebi ostensum tantum corrasit argenti, ut ambitus templi Slesvicensis amplissimum inde exstructus sit. Ob miracula autem, quæ post cædem hanc ejus innocentiam & sanctitatem testari credebantur, inter Sanctos à Pontifice Romano est relatus, nam campanas omnes ultro sonuisse dicunt, cum funus ejus ad templum ducebatur. Titulus quem in diplomatibus præferebat suis, idem erat ac Patris ejus, **ERICUS DANORUM & SLAVORUM REX**: Effigiem Regis hujus ligneam in domo capitulari Slesvicensi olim conspectam ita Cypræus describit annal: Slesv: lib: 2. c. 6. **Vir coronâ redimitus, facie pallida & lurida, capillis passis, barba nigra, tunica oblonga & ad talos demissa, calceis acutis & cornutis, prout mos fuit eo tempore,**



-P 95-

porè, balteo aureo per medium pallæ talaris infra lumbos cinctus.

E monetâ Regis hujus superest nummus æneus, cujus unum latus habet nominis Regii ERIC quatuor literas circa crucem dispositas, eodem modo, quo Abel frater ejus suos quoq; signavit nummos, alterum latus triangularem ostendit figuram, quam etiam ambiunt tres literæ REX. Et ex illâ similitudine horum nummorum cum Abelis facile est dijudicare non ad alium Ericum, quam ad hunc illos esse referendos. Monendum tamen hujus generis nummos etiam reperiri, qui ob Monetariorum ejus seculi ruditatem hunc titulum Regium ERIC REX retrogrado ordine legere, quod accidit, quia malleo, quo cuderetur moneta, recto ordine incisæ fuerunt literæ.

Alius hujus Regis nummus idem nomen ERIC ab unâ parte habet circa crucem dispositum, ab alterâ unicum E majusculum & antiquum loci aut Episcopi alicujus indicium, forsitan Eschylli Slesvicensis, vel Esgeri Ripensis.


Hujus ejusdem Regis nummum fuisse credo, quem meminit Mullenius class: 2. n. 7. hinc crucem cum quatuor literis ERIC, illinc gladium habentem. Similis enim Abelis proximè succedentis

dentis moneta fuit , quam mox delineandam dabimus.

ABEL filius WALDEMARI

Secundi.

Hic Slesvicensis Dux erat ex voluntate Patris Waldemari Secundi, sed Fratri Erico Danorum Regi nunquam nisi coactus voluit esse vectigalis, quare Mechthildam Adolphi Holsatorum Principis filiam duxit, ut ab hac parte auxilia sibi contra Daniam polliceretur, cui Ducatum suum avellere conabatur, unde cruenta diu exstiterunt bella, sed odia pejora, quæ non prius terminata sunt, quam cum nefaria Erici cæde. Hæc ubi Slesvici peracta est, Abel Parricida se tanquam sceleris purum non modo luctu publico ob fratris obitum, quem imprudenter flumini submersum dicebat, sed etiam maximis juramentis plebi excusabat, quæ etiam si omnia certiùs cognoverat, bella tamen & plures tumultus metuens Abelem utut proximum Regni hæredem, cum sine masculâ prole decesserat Ericus, Successorem legitimum proclamavit eodem annò ipsis Calendis Novembris. Coronam deniq; Danicam solenniter sibi imponi curavit, in comitiis Roschildensibus ab Uffone Archi-



Archi-Episcopò in ipsis natalitiis Domini festis proximè insequentibus, & qvò vel parricidium expiaret suum, vel fictæ alicujus Pietatis præferret speciem, varia cœnobia & alia loca sacra donis & beneficiis pluribus affecit. Liberos suos ut successionis post se certos redderet, convocatis Regni Proceribus, imperium Waldemaro filio suo destinavit, qvòd ille nunquam obtinuit. Mox Dithmaros aggressus fines imperii tutos cum reddere cogitaret, fatale sibi certamen cum hostibus iniit, in qvò ipse cum totò ferme periit exercitu, die Petri & Pauli annò Dni 1252. imperii sui tertio. In literis & placitis suis se vocat Regem Danorum Slavorumq; & Ducem Jutiæ,

Sæpius autem sum miratus, qvòmodo Abel Rex tam angusto imperii sui spatio, qvòd paulò supra biennium se extendebat, tantam monetæ Diversitatem, si illorum temporum rationem considerare placet, procuraverit.

Haud infrequentes occurrunt ejus nummi tam ex argentò, quam ære, qvi hinc Rosam vel similem figuram, illinc stellam ostendunt cum inscriptione: ABEL REX DANORUM, Alius Argenteus hinc crucem cum dispositò nomine Regiò ABEL, illinc gladium inter crucem, sceptrum & pedum Episcopale ostendit. Et videtur

mihi Abel voluisse hōc nummō fratris Erici monetam, qvā dedimus antea, imitari, ut illa imitatio Forsitan suspicionem vulgo præberet aliqujus in defunctum fratrem affectus, & parricidium eò melius tegetetur. An hicce nummus fuerit, qvem Mulenius in Catal. num. Danic. clasf. 2. No. 14. meminit se habere, cum cruce, nomine Abel & pedō, non dicam, cū Figura apud ipsum non datur.

Est & nummus ejus, cum cruce, qvatuor circellis & lunulis, cujus averfa pars triangularem figuram habet cum ambiente inscriptione ABEL REX & inclusā literā D. qvæ vult DANO-RUM hic legendum. Et hic nummus etiam similis est Erici prioris monetæ, in qvatriangularis etiam conspicitur figura.

Alius Abelis nummus hinc crucem habet & stellam inter duos littuos, illinc inscriptionem ABEL REX.

Ob rosam verò, qvæ in superioribus Abelis occurrebat nummis, uti & stellulam, qvæ in aliis ejusdem videbatur, videor mihi haud frustra huc trahere alium qvendam similem ex ære nummum, qvem nulla inscriptio, illustrat.

Ut autem haud infrequenter occurrunt illi
Abel-

Abelis nummi cum rosâ & stellâ, observare licet in ipsis haud mediocrem diversitatem, & quoad literarum situm, & quoad puncta & alias notas, quæ testantur diversis temporibus & diversis forsitan in locis hos signatos fuisse.


CHRISTOPHORUS Primus fil:

Waldemari Secundi.

Postquam à Dithmaris interemptum Abellem Regem cognovere Dani, nihil apud ipsos amplius valuit illud ipsius Neoburgi Fioniae publicatum mandatum, de filiis ipsius in successione imperii confirmandis. Publico autem consensu sibi Regem sumplerunt Christophorum Abelis fratrem & filium Waldemari secundi. Duxerat ille conjugem Margaretam filiam Johannis primi Brandenburgici Electoris, & ex testamento Patris Lollandiae & Falstriae hucusque Dux fuerat. Coronatus est cum Regina sua eodem anno videlicet 1252 ipsius natali festo Domini, peragente officium sacrum Eschyllo Episcopo Slesvicensi, cum excesserat nupere vivis Lundensis Archi-Episcopus. Imperium autem gessit parum felix; Rugiam etenim jam diu Daniae subjectam amisit, multasque cum Holsatiae Principibus miscuit lites, patriae suae detri-

mentofas. In plebem rigidior exstitit, & irritatam non nisi cruentis cædibus sedavit. Inprimis Episcopis & Ecclesiasticis viris admodum se difficilem præbuit, injustum putans, ut potiorrem Regni partem illi quafi ex jure possiderent. Hinc cum Archi Episcopò Lundensi Jacobò Erlandi, fastuosi & superbissimi spiritus homine tantum non apertò litigavit Marte, cum captū custodiæ cum tradidisset, excommunicationis fulmen in se & totam gentem vibratum non ita multū extimuit, minas minis coërcere cogitans. Sed dum in Juliâ hosce tumultus dissipare conabatur atrocissimò periit Monachorum scelere nostris antea inauditò terris; Dum enim sacratissimò Domitici corporis epulò se reficiendum optabat, venenò tinctum boletum ipsi porrexit Arnfastus Episcopus Arhusiensis, ut iniquitatis hujus focii alii in Galliâ & Angliâ quoq; diversis fecere temporibus. Obiit autem Rex Christophorus annò Domini 1259, regni sui septimò. Titulus ejus in diplomatibus antiquis est: CHRISTOPHORUS DANORUM & SLAVORUM REX.

Inter nummos, quos Christophorus primus cudendos curavit, occurrunt ænei, qui ab unâ parte ostendunt coronam cum inscriptione: CHRI-



-P i o i.

CHRISTOPHORUS, ab alterâ crucem & inscriptionem : REX DANORUM, Cujus generis nummos etiam attingit Molenius class: 3. ser. I. Non autem dubium mihi est hos ad Christophorum primum referre tum ob literarum & monetæ antiquitatem, tum ob similitudinem crucis, & circumeuntis inscriptionis, quæ ad Abelis accedere videntur.

Hujus etiam sunt ænei illi non ita infrequenter occurrentes, qui hinc legendum præbent : Christophorus, cum lit: C. in medio, illinc stellam cum inscriptione REX DANORUM; Nam etiam similes sunt nummis Abelis & quoad literas & quoad stellam, & longè diversi ab infrequentium Christophorum nummis.

Nec alterius Regis, quàm hujus puto esse illos ex meliori metallo nummos, quorum unum latus crucem habet cum quatuor lunulis, vel potius cum totidem liter: C. alterum vocem REX inter duas stellas; Nam convenientia horum cum monetâ Abelis id pervadet.

Et forsitan haud frustra huc referri possent alii diversi nummuli, qui stellam & coronam habent, nec literis ullis se cognoscendos præbent.

Habuit Christophorus primus Monetariam officinam Roschildiæ; Nam inter reliquas injurias,

jurias , quas sibi à Rege illatas recenset D. Jacobus Erlandi Archi - Ep: Lundensi; hæc erat una , quod Rex ipsi literas dedisset ad Magistrum Johannem monetæ Roschildensis Præfect: & curatorem , de summæ alicujus certæ solutione , & nihilo minus per alias literas ad eundem Monetarium dicti argenti solutionem prohibuisset ut Hvitsfeldius refert.

Præterea etiam inter dictas quærelas refertur , Regem monetæ valorem & bonitatem insigniter depravasse , unde haud exiguum fiebat detrimento Clericis , qui in exteris Academiis studia sua promovebant.

ERICUS CHRISTOPHORI Primi

filius Cognom:

Glipping.

Exstincto Christophoro mox ab Ordinibus Regni substituitur filius illius Ericus Glipping cognominatus , qui lucem adspexerat primo anno 1250 , imperio a Patre destinatus fuerat , cum nondum tres ætatis impleverat annos , sed Coronam , quam ipsi imponendam cupiebat Otthinæ anno 1258 , denegârunt Archi-Episcopus & Episcopi , quibus tunc hostile erat in

Re-


Regem odium. Nunc autem post obitum Patris solenniter inaugurabatur annò 1260 ætatis suæ undecimò, libertatem mox Archi-Episcopo captivo cœterisq; Episcopis concedens ex voluntate subditorum. Slesvicensem mox ducatum imperio restituere conatus exitiosum incepit bellum, in quò cum Matre, quæ Regni negotia curabat, per prodicionem hostibus tradebatur. Sveciam postea armis appetiit, & expulso Waldemarò, Magnum Svecis imposuit Regem. Cum Ecclesiasticis viris nihilo amicus egit, quàm Pater suus, unde & iisdem sæpe ac ille expositus fuit fulminibus. Patrias leges novis accessionibus ampliavit, variasq; ex Senatus consulto constitutiones adjunxit. Minus castè eum postea vixisse perhibent, quod exitio ipsi fuisse dicitur, cum Nobilem quandam corrupisset fœminam, cujus Maritus Stigotus Marschallus cum aliis conjuratus in necem Principis, Cimbriam, ubi tunc erat, petebat & noctu quam plurimis confossum vulneribus interemerunt 1286 ipsa Cæcilie nocte, ætatis tricesimò septimo, imperii vicesimò septimò. Titulus ipsius erat: Ericus Danorum & Slavorum Rex, in nonnullis tamen antiqvis diplomatibus etiã vocatur **Dux Esthoniæ**, ad exemplum Matris suæ
for-

forſitan, quæ in literis & edictis quibusdam ſe vocat Margaretam Danorum & Slavorum Reginam, Dominam Eſthoniæ. Sigillum ipſius Regem in ſoliò cum globò, ſceptrò & coronâ ſedentem habet, ab utròque latere ipſius corona cernitur, & averſa ſigilli facies tres Leones inter corda diſperſa monſtrat.

Inter alias diſſidii cauſas, quas cum Waldemarò auſtralis Jutiæ Dominò habuit, una erat quod ſuò nomine ſignatam monetam Waldemarus cudendam curaverat, id quod publicò diplomate deprecatur Waldemarus ſcriptò Neoburgi in comitiis annò 1286. Prid. Cal. Apr. ubi promittit deinceps nullum nummum ſe facturum niſi cum nomine & titulò Regum Daniæ. Copioſam per tantum imperii Spatium fuiſſe monetam hujus Regis, veriſimile eſt. Qui mihi autem obtigerunt, & huc commodè referri poſſunt, hi ſunt.

Nummus æneus cum coronâ & flore liliò, ambiente inſcriptione: ERICUS REX DANORUM, Video enim ex ſigillò Regis hujus ipſum in inſignibus & ſcutis ſuis coronam frequenter uſurpaſſe. Lilium autem, quod urbis noſtræ Otthinianæ ſignum eſt & nota, hîc nummos illos ſignatos fuiſſe arguit.

Alius



Aliusejus nummus est, qui hinc lilium ostendit, cum literâ O per ambitum sæpius iteratò, quod adhuc opinionem confirmat nostram de Otthinienſi monetâ, illinc binas claves iisdem literis circumdatas binas forſitan Fionenſis Epiſcopatus Cathedras Otthinienſem & Marieboënſem in Lollandiâ ſignificantes. Adde quod Erico & Patri ejus Chriſtophoro multum hic Otthinia fuerit negotii, & quotannis Parlamento Neoburgenſi interfuit. Hic enim filium ſuum coronandum voluit Chriſtophorus, & Hic Archi-Epiſcopum tanquam in locò, ſibi magis fidò & notò emacerandum curavit.

Eſt & nummus Regis hujus ex argentò & ære minor & quidem bracteatus, ut vocant, ſeu ab alterâ tantùm parte ſignatus, etiam lilium oſtendens inſigne urbis noſtræ, ubi monetaria fuit officina.

Alius ex ære nummus etiam lituum & gladium decuſſatim junctos repræſentat, cum lit: O adjunctâ. Averſa autem facies ejus Lilium etiam habet Otthinianæ monetæ indicium, ſed ita efformatum, ut medium gladium per duos lituos ſe exſerere diceret, ac ſi martyrium S. Canuti & Epiſcopalis loci dignitas indigaretur.

Propter lilium illud & literam O sæpius in
O
ambitu

ambitu nummi repetitam, huc mihi videor commodè satis referre alium ex ære nummum, qui ex adversâ parte crucem habet multis circellis circumdatam.

Hujus quoq; Regis nummus mihi putatur, qui ab unô latere gladium inter stellam & lunulam monstrat, quæ Patris & avunculorum ipsius insignia fuerant, ab alterô clavem, in aliis ejusdem nummis etiam spectandam. Inscriptio Numismatis hujus est: ERICUS REX DANORUM.

Est & Numisma cum clavibus & Coronâ æneum, quod nulli opportunius attribuere novi quam huic.

Hæreo autem, an ipsi, vel filio Erico Menvedio adscribam nummum illum satis frequenter occurrentem cum cruce & coronâ, cujus inscriptio est ERIC REX; uterq; enim tam Pater & quam filius coronas insignibus & sigillis suis inscruerunt.

Quia autem tempore Erici Glippingii Norvagicum imperium tenuit Ericus cognomentô Præste-hadere, seu sacri ordinis inimicus, ejus ex argentô nummum delineare haud neglexi, qui hinc faciem Regiam ostendit cum inscriptione: ERICUS REX NORVEGIÆ, illinc crucem cum quatuor flosculis & inscriptione: CIVITAS BERGENSIS.

Inter

Inter leges Erici hujus, quas annò 1284 sancivit, ultima est de novâ Regni monetâ, quam jubet simul ac causa fuerit quædam, in proximò post festum Michaëlis placito Generali & Provinciali publicè subditis notam facere, unde liquet sæpius per tempora ejus mutatam & innovatam fuisse monetam.

ERICUS filius Erici Glippingii Cognom. Mendwed.

Qui cædem Regis sui Erici inviti videbant Dani mox filium ejus Ericum hæredem & successorem proclamabant. Is natus fuerat annò Domini 1274 & quia, moriente Patre, nondum illos attigerat annos, ut imperio administrando maturus dijudicari posset, biennium sub Tutore transegit, coronatus demum anno 1286 Neoburgi Fionix in Natalitiò Christi festò ab Archi-Episcopò Johanne Droft & aliis Regni Episcopis, ætatis suæ decimò quartò. Multa ipsi cum Norvegis crebrò in Daniam incurstantibus litigia fuerunt ob vindictam quam à percussoribus Patris sui postulabat. Ingeburgem virtute & pulchritudine celebratissimam Sveciæ Regis Byrgeri sororem sibi Reginam sumpsit, & eandem, quamvis pius ac probus erat Prin-

ceps, ac Pater & Avus ipsius nihilominus incurrit inimicitiam Ecclesiasticorum, qui, ubi Regem maximè offenderant, ultionem ipsius more suo in maximò deputabant crimine omni excommunicationis furore dignissimò. Saxoniam inferiorem cum Mechelburgensi & Pomeranò tractu sibi subjecit, & fines imperii munimentis firmavit novis, Dithmaros punivit & domuit, legesq; patrias ad exemplum antecessorum suorum correxit & auxit, & quod reliquos Reges non fecisse dolemus, antiqva Regni monumenta, volumina, literas & diplomata congeffit & posteritati reservavit. Obiit annò 1319. die 13, Nov. quò annò etiam excessit Regina ipsius, ætatis suæ quadragesimò sextò, imperii si à coronatione numeraveris tricesimò secundò. Filios reliquit nullos, utpote in juventute decesserant, quotquot genuerat. Titulum in Literis & diplomatibus alium non habuit quam Pater & Avus, videlicet: Rex Danorum & Slavorum. Sigillum, quo placita & edicta firmavit sua, idem erat, quod Patri fuerat, sedens videlicet in solio Rex coronatus & paludatus, cum sceptrò & globò, habens ab utrâq; parte coronam, Danici & Slavici imperii indicem, sed ab alterâ sigilli parte utrumq; latus Danicorum insignium

Aqui-



Aquila stipat, quæ sine dubiò partem imperii Romani, quam sibi subjecerat denotabit.

Superius memini, me dubium fuisse, an quidam illorum nummorum, quos Erico Glippingio assignavimus, ad hunc filium ipsius pertinerent, præsertim cum hic coronas etiam insignibus prætulerit suis, diu multumq; hic Otthinia versatus, ubi complures eorum cufos fuisse apparet. Sed, quem huic Regi tutò adstruere possum nummum, est ille ex mixtò metallò subinde occurrens, qui hinc faciem Regiam cum inscriptione: ERICUS, illinc faciem Episcopi cum inscriptione: NICOLAUS. Mulenius, qui in Catal: nummor: Danic: class: 3. ser. 1. talem sibi fuisse asserit de hòc Ericò & Nicolaò, quoniam fuerint, dubitat. Sed certius mihi nihil videtur, quam hunc Ericum esse Ericum Menwed, filium Erici Glippingii, & Nicolaum illum fuisse Episcopum Burglaviensem, qui in multis & magnis Regni negotiis adhibitus ab Ericò Rege semper fidum se & obsequentem ipsi præstitit, & non solum fidem suam juramentò ipsi addixit annò 1313, sed jam antea interposuerat fidem suam pro Rege de dimittendis Norvagicis quibusdam Proceribus, qui in Daniâ captivi erant, imò & postea suâ manu varia confirmavit

mavit & testatus est in commodum Regis, unde liquet, multam ejus tunc auctoritatem fuisse. Præterea nullus alius erat Episcopus hujus nominis sub aliò quòdam Ericò Rege, nisi recurras ad Ericum Ploupenge, sub quò floruit Nicolaus Stigoti Episcopus Roschildensis. Sed qualis fuerat eò tempore moneta superius diximus, & quàm dissimilis huic, videat quivis; Melior enim & nitidior hæc est moneta, quàm illis turbulentis & omnis artificii expertibus annis accenseri posset.

Monetæ Lundensis mentio sub hòc Rege fit in sententiâ quàm Legatus Papæ Iarnus tulit contra Regem pro Archi-Episcopò Lundensi annò 1299 & 1307 Christophorus Regis Frater dux Hallandiæ constituebatur sub conditione, ut nullam cuderet monetam.

Variam à hisce temporibus fuisse Danorum monetam inde constat, quod Christiernus Episcopus Ripensis, cui arbitrium litis cujusdam inter Regem & Nicolaum de Verle demandatum erat, meminit in diplomate suò scriptò 1312 summam quandam numariam Equiti cuidã Heine promissâ, qui solutionem ejusdẽ non Cimbricâ sed Siallandicâ monetâ sibi deberi urgebat. In constitutione quâdam de vectigalibus fit mentio monetæ æneæ minoris pretii. Christi-

CHRISTOPHORUS secundus fili- us Erici Glippingii, frat: Erici Menwed.

Defuncto sine liberis Erico Menwed proximior nullus erat hæres, quàm frater ejus Christophorus Dux Esthlandiæ, seu Esthoniæ, quem ideoq; subditi, quancquam hoc moriens Ericus, seu insequentium malorum prælagus, quàm maximè distulerat, Regem elegerunt anno 1320. Sed nec felicitati nec prudentiæ Fratris & Antecessoris respondebat. Saxoniæ enim, Mechlenburgum & alias vicinas Provincias imperio abradi passus est, inutilibus & intempestivis subditos oneravit sumptibus, unde sibi non clandestinum modò à civibus odium, sed & horum instinctu perniciosum adeò sibi à vicinis conflavit bellum, ut Regno demum extorris in peregrinas concedere terras cogere-
tur, Danicas Provincias intereà inter se dividen-
tibus tam exteris quàm indigenis Proceribus. Imperio demum restitutus pristinos retinuit mo-
res, & subditos simul & vicinos laceffens conti-
nuò ab iisdem victus & captus est, & custodiâ
suâ ægrè elapsus occubuit Nicopiæ Falstrorum
annò 1331. Conjugem Euphemiam Esthoti-
landiæ Principem in diplomatibus & placitis su-
is


is vocatur Rex Danorum & Slavorum, Dux Esthoniæ.

Sigillum ejus ab unâ parte ostendit Regem coronatum cum orbe & sceptrô, sedentem in soliô, quod Leo à singulis lateribus insistit jacente tertiô quôdam à pedibus Leone. Ab alterâ parte Galeam habet, è cujus vertice bini surgunt serpentes, vel Dracones plumis pavonis ornati. In aliô quôdam sigillô minori sola corona spectatur.

Nummus quidem ejus æneus hinc crucem ostendit, illinc binas columnas, quas & posteri ejus nonnulli habuerunt, inscriptio est CHRISTOFORUS REX DANORUM. Cum exul esset & sublevaretur a Fratre Johanne Comite Holsatiæ, ei permisit, ut liberam officinam monetariam faxcopiæ in Falstria erigeret. Hvitf.

Ripensis Moneta sub hâc Rege memoratur Waldemari literis in Roschildensibus comitiis 1326, quorum ope Regnum adipisci sperabat varias concessit terras, & inter alias dedit Ludovico Alberti civitatem Ripensem cum monetâ & Teloniô.

Monetaria officina sub hâc Rege etiam erat Londini Scanorum; Etenim Esgerus Archi-Episcopus procuravit Canonicis ejus loci 100 mar-




· p i i z .

cas denariorum novæ monetæ Lundensis annò
1323, quod beneficium confirmavit successor
ejus Carolus. In aliis quoque diplomatibus suis,
ipse Rex se astringit solvendo denariis usualibus
Scanensibus.

WALDEMARUS QVARTUS fili- us Christophori secundi cognom: Atterdag.

Multas ab exteris Principibus vexationes pas-
sa fuerat Dania sub Christophorò secun-
dò, qui post obitum ejus omnes fermè
imperii Provincias inter se partiti, spoliabant
ubique potius quàm regnabant, conniventibus
circumquaque vicinis Svecis, Norvegis, Pome-
ranis, & Saxonibus, quibus commodior nulla
erat occasio insulas laceffendi Danicas, & novā
quotidie agendi prædam, quam hoc turbulentò
rerum Danicarum statu, cum singuli singularū
Provinciarum Dominatores non hostibus ar-
cendis sed suis solū oculis implendis studebant.
Præter superiorum temporum afflictiones, ad-
huc integrum tam triste septennium post mor-
tem Christophori experta est Dania, cum Pro-
ceres & cives de remediis tanti mali cogitare cœ-
perunt, & collatis clanculum consiliis, nullum
opportuniùs invenerunt, quàm si Christophori
de-

defuncti filium Waldemarum, verum Regni hæredem, qui metu domesticorum tumultuum exactus in Imperatoris Romani aulâ stipendia merebat, domum revocarent. Hic virtute non minus quàm dexteritate consilii commendatus Princeps in Patriam revocatus est circa finem anni 1340, & redux statim, cum coronationis solennitatem celebraverat, de colligendis imperii viribus cœpit cogitare, quasdam Provincias, ut Scaniam cum adjacentibus terris armis extorsit Suecorum Regi, alios numeratâ redemit pecuniâ, nonnullas pactiõibus certis sibi restituit, & sic distracta imperii membra in unum corpus redegit. Insulas deinde Balthici sinus, Oelandiam, Gothlandiam & Borringholmiam partim vi partim prudentiâ sub imperium retraxit. Hollatos postea, Saxones, Vandalos, & Hanseaticas civitates aggressus, jugum, quò illi diu Daniâ presserant, ipsis imposuit, & leges, quas dederant ante, ipsis nunc præscripsit. Hinc ab exteris tutus leges Patriæ auxit & firmavit, arces & oppida instruxit, justum & laudatum imperiũ exercuit ad annum 1375 cujus mense Octobr. d. 24, obiit Wordinburgi Selandorum imperii sui tricesimò sextò. Titulus idem Waldemaro quarto in literis & edictis fuit, ac Patri & Proavis: REX DANORUM & SCLAVORUM. Si-



Sigilla ejus edictis & diplomatibus appensa varii generis sunt.

Nuñi sunt Regis hujus ex argentò & ære, qvi hinc crucem illinc binas columnas ostendunt, cum inscriptione WALDEMARUS REX DANORUM. Illas autem columnulas multi præferunt antiqvi nuñi Danici, præsertim ex familiâ hujus Waldemari, cujus Pater etiam crucem & columnas suis impressit nummis, & Nepos Olaus ibidem.

Alius Waldemari quarti nuñus ex utròqve metallò crucem habet & ab alterâ parte literam O civitatis aut castri alicujus, forsitan Oringborgensis indicem.

An. 1361 confirmavit Gothlandis in Civitate Wisbuenſi jus antiqvu cudendi monetâ, ut Pontanus meminit lib. 8. p. 490. & Strelov. Chron. Gothland. p. 174. Caterum observant historiæ, ut testis est Hvitfeld pag. 511. walde-
marum monetam nonnunquam imminuisse, & pro argenteâ æneam substituisse, quod factum credo difficilibus illis temporibus, cum Provinciæ exteris Principibus oppigneratæ redimerentur. Et in eum forsitan finem illa sine dubiò comitia Wrangstruppiensia instituit annò 1355, in quibus Historici obiter meminere de monetâ tractatum fuisse.

MARGARETHA WALDEMARI

filia Haqvini Regis Norveg: Conjux

Olaus Haqvini & Margarethæ

filius.

Defuncto jam Waldemaro coierunt Proceres & Ordines Regni Otthinæ in Fioniâ , ut de novò eligendò Rege consulerent. Decefferat enim sine masculâ prole superstite Waldemarus, & reliquerat Margaretham filiam solam Haqvino Regi Norvegiæ nuptam, ex qvò conjugio nepotem tamen Olaum vidit , qvem post disceptationes aliquales Regem elegerunt primò Scani, Hallandi, & Blekingii anno 1370, & horum exemplo universi mox Danici imperii ordines in comitiis Slaglosiensibus die inventionis S. Crucis. Hic Rex salutatus mox constitutiones & leges publicavit suas, qvas hodie *R. Olufs Handfæstning* vocamus, & qvia eam nondum attigerat ætatem, ut ipse solus imperiû administraret, ex communi subditorum votò Matris Margarethæ Norvegicæ Reginae consiliis ubiqve dum vixit, utebatur, & post qvadrenniû mortuò jam Parente Haqvino, Norvagicum imperium Danico adjecit annò 1380. Prudentiâ autem supra ætatem maturâ, pietate & elu-

cescente clariùs indolis probitate tantam indies de se subditis spem præbebat, ut omnes antiqui sanguinis Regii vires in hóc Phœnice reparatas crederent. Sed aliter superis visum fuit, quorû decretò evocatus è vitâ est annò Dni 1387, ultimus tunc ex masculâ Regum Danorum Prosapia imperii hæres.

Tam tristi & insperatò casu perculsi Dani, ubi Regiæ stirpis nil residui videbant præter Margaretham, ejusdemq; jam sub Olaò filiò felicitatem, regnandiq; dexteritatem experti fuerant, unanimi consensu ipsi ut Dominæ & Reginæ totum contulerunt imperium, adjunctâ potestate eligendi & cooptandi sibi successorem, ubicunq; placeret. Norvegi haud cunctanter Danos secuti Margaretham Reginam proclamârunt, æternò insuper vinculò legis & fœderis, utrumq; imperium Danicum & Norvagicû connectentes. Insequenti annò 1388 bellum inter Daniam & Sveciam invidia conflavit Alberti Svecorum Regis, qui jus suum aliqvale in Norvegiam hac Margarethæ electione interruptum credens nova moliebatur indies, & non tam arma quàm convitia in Danicam nostram Semiramidem vibrabat, exteris potius Germanorum confusus viribus, quàm amore & affectu
sub-

subditorum, qvi difficile ejus imperium pertasi non nisi mitem & facilem Margarethæ Danicæ dominationem anhelabant.

Finem & colophonem liti addebat prælium westro Gyllandicum annò 1388 die 21. Sept. in qvò victus & captus Albertus cum filiò Ericò septem annorum carcerem & custodiam experiri coactus est, unde vix elapsus demum omni se imperio & imperandi jure abdicavit, & gloriosissimam trium Regnorum Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ sub unò sceptrò conjunctionem impedire non potuit. Hinc trini imperii Princeps Margaretha adeò prudenter domi forisq; publicam egit causam, ut nihil fuerit, qvòd in ipsius Regimine desiderârunt Dani Sveci, & Norvegii, præter perpetuitatem, quam fata interciderunt annò Dni: 1412. ex qvò vivere inceperat sexagesimò, Danis imperare tricesimò septimò, Norvegis tricesimo secundò, Svecis vicestimò qvartò, cum tamen jam ante septendecim annos Ericum Pomeranum Vartislai Pomeraniæ Ducis filium Pronepotem suum ex sorore Ingeburgi imperii consortem & hæredem scripserat. Titulis Olai Regis, qvàm diu unâ cum Matre imperio præfuit, talis invenitur, cum eâdem conjunctus; Olaus D. G. Danorum & Sla-

Slavorum Rex, & Margareta eâdem gratiâ Sveciæ & Norvegiæ Regina. Post obitum Olai illa se in diplomatibus suis Reginam Danie, Svecie, & Norvegie vocat.


Sigillum Olai Regis unicum nobis dat Renusius, in quô sola cernitur Corona sine inscriptione ullâ.

Margaretha Regina complura habuit, quorum unum ipsam sedentem repræsentat in solio Regali cum coronâ & sceptrô armis & insignibus Provinciarum & regnorum stipatum. Ubi nescio quid bubula illa capita faciant, nisi forsitan devictum Mechelburgensium Principum Regem Albertum denotare possint. Hoc sigillum vivente Olaô in usu fuit, id quod testatur inscriptio ejus talis: SECRETUM Margaretæ D. G. NOR-VEGIÆ SVETIÆ REGINÆ.

Aliud crucem repræsentat, in cujus mediô Lilium est cum inscriptione SIGILLUM REGNI DACIÆ ad CAUSAS, quod post obitum Olai in usu fuisse credo.

Aliud sine inscriptione tres Coronas habet post conjunctionem Regnorum receptum. In nonnullis sola Reginæ facies spectatur, quæ in usu mihi videntur fuisse post obitum Olai, tunc cum nondum Ericum Pomeranum in societate imperii adsumpserat. Præ-

Præter alias officinas monetarias, quas credibile est hisce temporibus in variis trium Regnorum Provinciis fuisse, unam Londini Scanorum meminerunt Historiæ, cujus Monetæ quartam partem ejus loci Archi-Episcopo adjudicavit Olaus Rex annò Dni. 1377, attestantibus Nicolaò Drake, Tuone Gallen, aliisque Regni Proceribus armigeris. Ad Monetam Olai & Matris ipsius Margarethæ ut veniam, visum est mihi torcum quoddam delineare argenteum, potius quàm numisma, & quidem ex antiquariâ collectione Fratris mei longè dilectissimi Dni: Episcopi Aalburgensis, in quò ab unâ parte caput quoddam horridum & impexum videtur, & ab alterâ litera majuscula O coronatum. Qui id possidebant antea nummum Olai credebant cum capite sancti alicujus, nos autem nihil minus tunc cogitantes solâ delineatione contenti eramus, sed postea apud Johannem Schefferum de insignibus Sveciæ simile omnino signum argenteum invenimus cum literâ M. coronatâ, additò anni numerò ab alterâ parte. Quod quia, teste Schefferò, fustum potius, quàm cusum videtur, qualò & illud Olai omnino est, inde clarum satis esse judicamus, quòd exstiterint omnino tam Matris Margarethæ, quàm filii Olai talia ex argentò si
non



non numismata , certè alicujus tamen rei futura monumenta.

Æneus hujus Regis datur nummus , Mullenio memoratus Ser. 2. class. 2, n. 10 in cujus unò latere qvatuor spectantur gladii in crucis formā dispositi cum insertis literis : O REX. In alterò latere lituus & clavis occurrunt inter binas literas I. A. Episcopi alicujus nomen indicantes, non quidem Jani Andreæ Roschildensis, qui demum sub Ericò Pomeranò sedit , sed alterius cujusdā vel Jacobi Lundensis, vel Johannis Slesvicensis , vel Johannis Otthoniensis, qui omnes sub Margarethâ & Olâ federunt.

Alius est ex meliori metallò nummus cum cruce & iisdem literis. O REX. Aversa facies aliam crucem cum circumpositis lunulis habet.

Datur & nummus mediæ metalli seu mixti , hinc florem habens , inter cujus qvatuor folia eadem literæ cernuntur O REX. Aversum latus in mediò circulò columnas habet, quales etiam Waldemari qvarti & Christophori secundi proximè præcedentium Regum nummi habebant. Inscriptionem : DANORUM si priori faciei junges , legitur hic & illic OLAUS REX DANORUM.

Inveni etiam aliquando unò in locò complures

res nūffios ſed æneos omnes, habentes ab unâ parte lituum inter duas literas, N. I. ſine dubiò Nicolaum Jacobi Episcopum Roſchildenſem denotantes, ab alterâ parte ſolam Coronam ambientibus circellis & lunulis, qvalia fuiſſe novimus arma Nicolai Drage Cancellarii Danici ſub Olaò & Margarethâ.

Eſt & moneta ex meliori metallò & fermè argenteò, qvæ faciem muliebrem coronatam exhibet ſingulari qvâdam figurâ cinctam, ut delineatio monſtrat. Mullenius inter incognitos nummos hunc ponit, qvia detritus forſitan fuit, qvem ille habuit, unde & Regis faciem hîc conſpici putat ſer. I. no. 23.

Meus autem nummus clarè ſatis mulierem ſeu Reginam oſtendit, & ſi illum nummum cum ſigillò Margarethæ Reginæ contuleris ſuperiùs memoratò, ſimilem videas faciem ſimiliter ornatam, & ſimili figurâ incluſam, unde non eſt, qvòd Margarethæ Reginæ hunc denarium adſcribere dubitem, etiamſi nullæ apparent literæ, qvæ etiam in eò ſigillò fruſtra qværantur. Averſum nummi latus mitram Episcopalem cū crucibus qvibusdam habet. Sed qvòd ulterius omnem eximit dubitationem, en minorem aliū concavum nummum argenteum, reliqvis ſimilem,

lem cujus generis aliquot habeo ante annos paucos in cœmiteriô pagialicujus Fionensis inventos. Eos diu dubius nesciebam, quò referrem, anteqvam Schefferus de insignibus Sveciæ p. 169 hos Margarethæ Reginæ esse, tanquam rem nemini in Sveciâ dubiam, me edocuit.

Propter similitudinem ad horum temporum nummos etiam aliud quoddam numisma ejusdem metalli referre volui utrinq; crucem ostendens hinc figurâ haud dissimili multum à superiori, illinc circellis quatuor ornatam.

Cæterum quàm frequens hisce temporibus fuit monetæ peregrinæ usus inde videre licet, quod Jacobus Gerhardi Archi-Episcopus prædium quoddam sibi cœmerit, numeratis mille marcis albæ monetæ Sterlingiæ, cujus & generis haud spernendam subinde copiam in hac nostrâ Fioniâ fuisse inventam, probè memini.

ERICUS POMERANUS filiûs

Wartislai Ducis Pomeraniæ.

Reginæ Margarethæ ex sorore

Ingeburgi Pronepos.

Octo ferme annos & partem noni post obitum filii Olai transegit Margaretha Regina, & sola triplicis imperii onus sustinuit,

antequam hæredem sibi fumpsit & successorem Ericum Pomeraniæ Principem Pronepotem suum. Is anno 1396, à Regina cooptatus, & mox ab omnibus simul trium Regnorum Proceribus confirmatus, imperii focius factus est ætatis suæ decimò quartò annò, sub auspiciis & curâ Reginae felix exercuit cum ipsâ imperium aliquò tempore supra sex & decem annos, Scanicas leges annò 1401 promulgavit, aliisqve bonis constitutionibus à Regina cerebrò prognatis benè de patriâ meruit. Tunc post obitum Margarethæ solus imperium tractare incipiens, citò defunctæ se Reginae consiliis destitutum vidit. Coortam inter se & Holsatos Principes litem non armis, ut Antecessores sed Imperatori Romano non ut Arbitro, sed ut supremo Regni sui Iudici commisit, unde etiam si causa superior decedebat, imperii tamen Majestatem imminuit. Subditos variis vexationibus afflixit, justitiam non semper ex debitò promovit, inutilem Regi suscepit peregrinationem ad Hierosolymitanâ sacra, ubi detentus a Barbaris novos subditis extorsit sumptus. Post reditum neglectis regni curis soli vacavit otio & intempestivis negotiis, unde odium civium ex omnibus tribus regnis sibi attrahens, cum videret
af-

affectum quotidie in se imminui subditorum, quicquid potuit auri, argenti, gemmarum, literarum & monumentorum antiquorum corrasit & navi imposuit, clamq; in Gothlandiam insulam aufugit annò 1437, ubi literas omnium trium Regnorum accepit, quâ ipsi renuntiabant ubiqve subditi fidem & obsequium omne. Ille interea Piraticis circumquaqve excursionibus proximas Regnorum suorum oras indies affligens, & à Svecis obsessus tandem se in Pomeraniam recepit, ubi obiit sine liberis annò 1459, postquam per viginti & duos ferme annos vidisset fascēs Regales à se derelictos in manibus duorum Regum Christophori Bavari Neptis sui & Christiani primi Oldenburgici. Titulus ipsius erat Rex Daniæ Suetiæ & Norvegiæ, Dux Pomeraniæ, quàm diu autem vixit Margaretha, semper post titulum ipsius hæc leguntur: Ex consensu & voluntate per dilectæ Matris & Dominiæ nostræ Margarethæ &c.

Sigillum ipsius quoddam magnum existat; in quo Angelus arma & insignia Provinciarum & Regnorum sustinet.

Aliud minus Leonem & Gryphem ostendit, qui coronam cruci imponunt. Inscriptio est: **SIGNETUM ERICI D. G. REGIS, & DUCIS POME-**


POMERAN. & C. video etiam sub diplomati-
bus ejus signetum frequenter vocari, quod ab
aliis antea Secretum, vel Sigillum fuerat voca-
tum.

Observo autem hujus Erici arma & insignia
vel sigilla in mediò sui crucem ubiqve habere
ad eundem fermè modum, quò postea Olden-
burgica familia eandem in suis armis expressit,
id quod & Margaretha Regina & Waldemarum
quartus ante ipsum fecerant.

Aliud ejus sigillum minus eandem crucem
habet, cui scutum cum tribus coronis est appen-
sum. Aliud locò coronarum tres leones in simi-
li scutò & cruce ostendit.

Monetam ipsius quod concernit, meminis-
se juvat ex Pontanò lib. 9. p. 584. Hunc Eri-
cum Pomeranum Monetam cudi curasse cu-
pream & levidentem admodum ac vilem, quò
nomine malè apud subditos & externos coepit au-
dire, adeò ut varii in id confingerentur libelli,
& carmina parum decora spargerentur. Regi-
na autem Philippa conjugis in famiam ægrè fe-
rens, ipsò nesciente, aliam & meliorem mone-
tam eòdem typò & signò conficiendam jussisse.

Ex multis Erici Pomerani nummis, quos per
tam diuturnum imperii tractum cudisse creda-
tur,



tur, haud infrequenter occurrunt argentei nummuli haud ineleganter signati, ab unâ parte Coronam ab alterâ crucem habentes, & inscriptionem ex utraque parte talem ERICUS REX. D. S. N. MONETA NESTWED.

Ænea hujus Regis numismata ante paucos annos non adeò obvia fuerunt, etiam si illud, quod Mullenius meminit Class. 3. ser I. No, 3, & non cognovit, ex hisce fuerit. At annus proximè elapius octuagesimus octavus satis cognitos nobis hîc Otthinîæ reddidit æneos Erici Pomerani nummos; Etenim civis quidam urbis nostræ cum collapsas suas reficeret ædes, & fundamentum earundem repararet, incidit die nono Martii in copiam nummorum satis numerosam. Possessor autem olim æris hujus ocream vel tibiale aliquod his impleverat nummis & in terram reposituerat. Superveniens autem incendium forsitan aliquod hoc, quicquid fuerat, integumentum consumpserat, & inclusum æs in massam pedis instar effigiatam redegerat, ut vix aliquot à reliquò corpore separari & integri avelli possent. Inter multos autem sordibus & æruginè liberatos deprehendi & clarè satis observavi in omnibus quidem E literam antiquò & monasticò modò expressam & Coronatam ab unâ

unâ parte, & crucem ab alterâ. Nec non in omnium unô latere : IN NOMINE DOMINI. Sed alterum latus singulorum civitatem, ubi signati fuerant, indicat. Ex his legere licuit :

MONETA OTTOIS

Quod est : Otthoniensis, id quod clariùs convincunt alii nummi, in quibus legitur.

MONETA ODENSE.

Adhuc enim hic Ottheniæ, vel Ottoniæ vicus, seu platea est quæ monetaria vel monetalis Danicè *Møndtestræde* dicitur, & domus ibidem certa monetaria seu *Møndte Gaarden* appellatur, ubi illa olim steterat officina. Statim autem & quidem adhuc vivente Ericô Rege hanc Otthenientem monetariam officinam fuisse abrogatam video ex diplomate Christierni primi scriptò Coldingæ 1562, quò omnem culpam Magistratui Ottheniensi, intercedente Claudio Rönnov Marschallo, remittit, quod Monetarias Ottheniensium ædes jam antea sub temporibus Erici divenderant cuidam Claudio von Ornæ.

In aliis legitur : MONETA NESTW: Nestvedæ

vediaæ Sælandorum hos cufos fuisse indicans. In nonnullis: MONETA LONDEN. Londinum Scanorum intelligens, ubi antiquissimum erat nummos cudendi privilegium, aliquot retrò seculis huic concessum loco, ut supra aliquoties monuimus.

Sunt &, qui legendum præbent: MONE-TA RAND. Et Randrusii Cimbrorum etiam monetariam fuisse officinam docent.

Ex Svecicâ ipsius monetâ aliquot etiam damus ex fide Johannis Schefferi de insignibus Sveciæ. Illam autē Arosiensem ipsi possidemus, quæ argentea est, & hinc coronâ habet, velut in Nestvedensibus, illinc alium quendam characterem, cum inscriptione: SCVS. ERIC. SV. REX. 3. Sanctus Ericus Sveciæ Rex ab Alterâ parte MONETA AROS.

Anglicam monetam de Nobili Rosâ dictam frequentissimum tunc in Dania habuisse usum diplomata testantur antiqua.

Etiam de Albâ monetâ Sterlingiâ multum loquuntur pacta & transactiones ejus temporis antiquæ.

CHRISTOPHORUS TERTIUS

Bavarus filius Joh: Comit. Pal. & Ducis Bav.

Nepos Erici Pomerani ex So-
rore - Sophiaâ.

Postquam Regna sua deseruerat Ericus Pomeranus annò Christi 1437. insequenti statim annò de novò sibi Rege eligendò coierunt omnes omnium trium Regnorum Proceres, & juxta factas antea constitutiones neminem successioni propiorem invenerunt, quam Christophorum Comitem Palatinum, Baviaræ Principem, Erici Regis ex sorore Nepotem. Hic ad imperium solennibus invitatur literis, & magnificò apparatu exceptus Lubecæ in Daniam deducebatur annò Dni: 1439. & paulò post tumultuantes in Cimbriâ Rusticos ingenti compescuit cæde annò 1441. quò eòdem annò in vigiliis sanctæ Crucis Regiâ cum pompâ Holmiam Sveciæ introiit superbò vectus eqvò, mediis inter Archi-Episcopum & supremum Regni Marschallum, posteròq; die solenniter ab Archi-Episcopò eodem Nicolaò Ragvaldi coronatus est. Annò sequente 1442 Asloæ Norvegorum inauguratus est & Coronam suscepit e manibus Aslaci Bolt Nidrosiensis Archi-Episcopi-

scopi. Danici demum imperii Coronam splendidiſſimò apparatu, præſentibus quàm plurimis tam Regni Proceribus, quàm exteris Principibus Ripis Cimbrorum ſibi imponi curavit annò 1443 à Johanne Laxmand Archi-Epiſcopò Lundeni. Hafniam poſteà jam imperii noſtri Metropoli, tunc Roſchildenſium Epiſcoporum villam & prædium magnò redemptam pretiò Regii juris fecit. Leges condidit Danicas, quas hodie *Etads-Ret* vocamus, & publicavit annò 1444. Ut autem Princeps erat Patriæ amantiſſimus, & antiqvæ Danorum gloriæ ſtudioſiſſimus, cœpit de wandaliciſ & Slavicis civitatibus ad priſtinum obſeqvium redigendis cogitare, & redegiffet citò, ſi per fata licuiſſet. Ad Svecica enim comitia cum tenderet Helfinburgi Scanorum inſperatò obiit morbò annò 1448 feſto Epiphaniæ, nullos relinqvens liberos ex brevi ſuo matrimonio cum Dorotheâ Principis Brandenburgici filia.

Titulus ipſius in diplomatibus antiqvſ talis eſt: CHRISTOPHORUS D. G. DANIÆ, SVE-TIÆ, NORVEGIÆ, SLAVORUM, GOTHORUMQVE REX, Comes Palat. Rheni, & Dux Bavarïæ.


Sigillum ipſius magnificum exſtat, in qvo Re-

giò ornatu, cum coronâ, orbe & sceptrò in solio
splendidè ornatò sedens conspicitur adstantibus
utrinque Angelis & insignia tam Regnorum
quàm Ducatum, Palatini & Bavarici tenenti-
bus. Fastigio solii Draco incumbit, & ambiens
inscriptio quoq; splendidior est quàm in anteces-
sorum sigillis, videlicet: SIGILLUM MAIESTA-
TIS CHRISTOPHORI &c: Minus aliud sigil-
lum ejus habetur cum solis Regnorum & Pro-
vinciarum scutis & insignibus.

Moneta quædam Regis hujus Argentea ad-
modum similis est quibusdam Oldenburgicæ fa-
miliæ nummis. Habet ab unâ parte literam Kva-
riis ductibus & lineis oberrantibus ornatam, ab
alterâ parte crucem, qualem Oldenburgica fa-
milia in suis nummis habet, ut ex Christiani primi,
Johannis, Christierni secundi, Friderici primi &
aliorum videre est. Inscriptio utriusq; lateris ta-
lis est: CRISTOF. REX. D. S. N. MON. MAL-
MOIENS.

Ejus enim civitatis officinam hi non solum
primi nummi declarant, sed multi postea Chri-
stierni primi, Johannis, Christierni secundi, Fri-
derici primi & Christiani tertii.

Alium ejusdem Regis nummum in Sveciâ
cufum damus. Habet & hîc in alterâ parte lite-
ram




ram K majorem, sed adjunctam A an Aboam ,
Arosiam aut aliam significet civitatem certò e-
dicere non licet.

APPENDIX.

Appendicis locò placuit subungere quam-
plures æneos num̃os, quorum frequens sa-
tis copia occurrit, aut è terris eruta, aut in
agris & aliis locis inventa, de quibus, quoniam Danici
sint, nulla existit dubitatio, cum respondent ex-
actè illis, quos supra suis Regibus assignavimus,
sed quia præter Characterum similitudinem ni-
hil, quod de his dicamus, habere licet, breviter
tamen monendum duximus multos eximiæ no-
bilitatis viros olim tales notas solùm, vel chara-
cteres in figillis & cereis antiquorum diploma-
tum suorum appendiculis posuisse, & eòdem
modò Episcopos, Abbates, & civitatum Magi-
stratus nunc peculiarem quandam notam suã,
nunc civitatis, nunc sancti alicujus, qui eo locò
colebatur, nunc initialem quandam literam ad
viri vel loci cujusdam nomen denotandum in
nummulis suis expressisse. Sic qui in Tab. I. oc-
currit primò crucem & frontispicium templi
repræsentat ad divini cultus observantiam te-
standam. Secundus etiam crucem habet variè
orna-

ornatam, sed præterea, quod miror, figura cernitur ibidem eadem omninò, quæ occurrit vulgò in nummis Ludovici noni, Philippi pulchri & sequentium nonnullorum Franciæ Regum. Est autem omnino frontispicium templi cum imposita cruce, quod rudis illa ætas adeò malè expressit, & præterea deorsum pinxit Chalcographus noster, quæ sursum debuerat ponere. At frequentissimè in Patriâ nostrâ inveniuntur istius Philippi pulchri nummi argentei ejus quidem generis, quos des gròs tournois vocant Galli, & inscriptionem habent hinc: Philippus Rex. Benedict. sit nom: Dni: nri. e. Dei. ihv. XPI. & crucē. Illinc: civis Turonus, & prædictam figuram. Eximiam horum copiam in Cimbriâ erutam fuisse Thomas Bartholinus refert act. med. volum. 3. obs. 29. & ante paucissimos annos cum templum quoddam in Morfingiâ Cimbrorum insulâ reficeretur, decidit è testudine templi, ubi repositum fuerat olim, ingens vas hisce nummis repletum, quorum aliquot amicorum studiò mihi contigerunt, non adeò difficulter, cum ingentem horum numerum multis in locis conspici asserunt, variis & frequentibus casibus inventos & detectos. Credo ideòq; hos Philippi nummos illatos fuisse temporibus Christophori
secun-



secundi, aut sub interregnō ejus imperiū insecutō, cū perpetuō intereā motu affligeretur Dania, & externō milite scateret, multi etiā nobiles & primarii viri iis cedentes tumultibus apud Gallos & Germanos tunc periculosis bellis implicitos stipendia merebant, & hanc in patriā secum reportare poterant monetam; Nam Gallicæ historiæ perhibent, sub Philippō pulchrō adeō evacuatam fuisse Galliā ob continuos bellorū sumptus, ut monetæ argenteæ defectū viliori metallō supplere fuerit coactus. Hinc forsitan, qvā crebrō & frequenter, ut apparet, iis temporibus hæc in Daniā conspiciebatur moneta, ad ejus forsitan similitudinem æneos illos nummūlos Danici qvidam conflagrunt viri monetales.

Qvi proximè sequitur nummus Rotam habet cū anchorā, Ripis sine dubiō cusus; Anchora qvippe portum Regium & celebrem ibidem navium stationem, rota Sanctam Catharinam indicat, cujus apud Ripenses magna veneratio fuit, & templum adhuc splendidum ibidem cernitur. Ubiq; autem in picturis & fastis nostris rotam hujus Martyris indicem observamus, instrumentum scilicet, qvō ad mortem adacta fuit.

Sequuntur complures cum literā A, qvæ loci sive Episcopi aut Abbatis alicujus nōmen demon-

monstret, quod potius credo tamen certum quid definire ne-
queo.

In Tabulâ secundâ Cervina cornua habet primus num-
mus, qualia etiam nonnulli viri nobiles ex familiâ Absolo-
nis Hvide Archi-Episcopi in insignibus suis habuerunt Sed
huc an facere possunt, aliquando sollicitius inquiramus.

Rota & crux in secundô nummô etiam venerationem
qvandam Sanctæ Catharinæ Ripensis, aut alterius loci cu-
jusdam indicant.

Poculum in tertiô hujus tabulæ nummô sacerdotem
qvendam eximæ dignitatis, penes qvem fecit jus moneta-
rium, demonstrat, & nisi calix seu sacrum in Cênâ adhibe-
ri solitum videretur poculum, crederem aliquem e familiâ
veteri Druchen, in quorum insignibus poculum conspicitur,
hunc nummum cudi fecisse.

Quartus qui clavem & crucem habet pertinere mihi vi-
detur ad Erici tempora, quorû monetâ dedimus supra.

Quintus Regium gladium & binos Episcopales lituos
habens, quò pertineat, haud scio.

Sextus Lundis Scanorum signatus est, & sine dubiô ad a-
liquem ex Esthritiis fratribus pertinet, qui monetariam suâ
ibi habuerunt officinam. Loci ejus index satis evidens est crâ-
ter, quo Laurentius dictæ Ecclesiæ Patronus est mactatus.

Septimus & octavus etiam Sanctæ Catharinæ rotam ha-
bentes a Præsule quodam Ecclesiæ alicujus hujus venerationi
dicatæ, signatos se testantur.

